

cur ab inventionis ordine, vexilloque sine tes-  
 fera, sine com meatu discesserunt? est enim op-  
 positum proprius in inventione locus: an for-  
 te dum praedandi gratia de castris exissent, ca-  
 ptiva a sophistis huc adducta sunt? quid hinc ca-  
 ptas Grammaticorum possessiones rursus video  
 de significatione nominis prioris, adverbii si-  
 mul, verbi habere? quid eadem servitute de-  
 vinctas Physicas motuum species? quid tot pe-  
 regrinos, captivosque debiles, prostratos inu-  
 tiles in his praefidiis video? vides o domine  
 Aristoteles (illud enim tuis servis lubenter gra-  
 tulabor) in tuis istis propugnaculis nihil esse,  
 quod tua castra tueatur: adhibueras praefidia  
 captivorum Grammaticorum, & Physicorum:  
 quibus latrocinio nescio quo comparatis nimium  
 fidere non debebas: itaque te deserunt, dicunt  
 se vi tibi, non sponte servisse, *paronyma*, &  
*opposita* sola sunt, quae & loco se deiecta con-  
 queruntur: in *Topicis* erat illis locus abs te  
 constitutus: regulae quamvis abs te inventae,  
 tamen inermes, inutiles, cur in Dialecticis vigi-  
 liis collocantur? o propugnacula inania: o so-  
 phistica receptacula: quid enim sophista, nisi  
 qui magnam foris sapientiam ostentat, eum do-  
 mi nullam prorsus habeat? si quis Aristoteleo-  
 rum (cum duos annos in Dialectica consumpsis-  
 set) in patriam reversus populares convocaret,  
 ut in publico conventu Aristoteleae sapientiae  
 specimen exhiberet, tum diceret: scio popula-  
 res octo pulchros habendi modos, ut qualita-  
 tem, quantitatem, circa corpus, in parte, par-  
 tem, in vase, possessionem, cohabitationem:  
 exempla sunt omnium, habeo sophismata magna  
 in manica, & in capite, & caput in ipsis, sicut  
 vinum in vase, habeo propriam sophismatum  
 possessionem, uxorem tamen non habeo pro-  
 prie; alii sunt praeterea multi habendi modi,  
 sed qui dici consueverunt, pene omnes enumerati  
 sunt: haec cum ad verbum ex Aristotelis doctri-  
 na, sapientiaque palam dicta, auditaque essent,  
 quis risum teneret? quis impudentiam illam non  
 exploderet? at tu ridicule sophista, his, &  
 maioribus etiam nugis egregias istas arces *an-  
 tepraedicamentorum*, & *postpraedicamentorum*  
 complevisti: sed offudisti tenebras auctoritatis  
 oculis hominum: ut cum nihil hinc utilitatis  
 agnoscerent, admirarentur tamen velut quae-  
 dam sacra effata, quae duntaxat Sibyllinis vati-  
 bus interpretari liceret: dii te veterator, & im-  
 postor eradicent: nimium diu fefellisti, induxi-  
 sti, nocuisti. Canis (dicit aliquis) ante victo-  
 riam triumphum, & quasi victor insultas non-  
 dum oppugnatis castris: me miserum, & nun-  
 quam satis prudentem: video enim cum maio-  
 ribus mihi copiis esse dimicandum, quam apud  
 Thermopylas Lacedaemonio Leonidae cum qua-  
 dringentis Spartanis, contra quadringenta Per-  
 sarum millia: itaque ut ille suos, ita meos pos-  
 sum adhortari: prandete forti animo milites,

apud inferos coenaturi: obruemur enim multi-  
 tudine sophistarum in iis castris contra nos ar-  
 matorum: sed tamen pro patria veritate certan-  
 dum est, ut si tantos impetus non sustinebimus,  
 tamen fortitudinis munere perfuncti, vitam ve-  
 ritati debitam nobili, testataque morte redda-  
 mus: eamus igitur, ut ait Poeta,

*Et in media arma ruamus.*

decem vexilla sublata video, quibus totidem  
 reges praesunt, *substantia*, *quantitas*, *qualitas*,  
*relatio*, *actio*, *passio*, *ubi*, *quando*, *situs*, *ha-  
 bitus*: at quanam sunt hae nationes? *substan-  
 tia*, patricia quaedam familia est, & amplissima:  
 cui caeterae novem sunt tributariae, & tantum  
 soli possident, quantum illis substantia permise-  
 rit: *quantitas* castris metandis praefecta est, item  
 metiendae proceritati militum: breviter omnium  
 rerum metiendarum munus habet: *qualitas* aspi-  
 cit qualia sunt omnia, & quomodo ad suum  
 munus affecta: *relata* dicuntur, quibus hoc ip-  
 sum est esse, ad aliquid quodammodo se habe-  
 re: nec quicquam aliud agunt: reliqua sex la-  
 tent velut in insidiis, tantum speciem nominis  
 indicant: nihil praeterea declarant, aut osten-  
 dunt: quis numerus est in castris substantiae?  
 omnes illic esse dicuntur, non modo inanima-  
 torum, sed arborum, pecudum, hominum,  
 deorum, daemonum nationes, & quidem mi-  
 rabili ordine (quem *praedicamentum* vocant) de-  
 scriptae: ubi summum genus regia potestate  
 imperat, subiectae sunt species: differentiae sti-  
 patu suo, comitatuque latera cingunt: ut decem  
 amplissimas orbis universi basilicas tibi videre vi-  
 dearis, cum haec aspicias: at fortassis haec so-  
 phistica est, ut in propugnaculis, ostentatio:  
 itaque ingrediamur, circumspiciamus omnia,  
 nec vanis istis titulis terreamur: quid? ubi est  
 aula ista regia? ubi comites, & stipatores regii?  
 ubi subditi principes? solitudo est vasta, deser-  
 taque: video tamen in angulo nescio quo pri-  
 mam, secundamque substantiam muliebriter al-  
 tercantes, aliquot communitatum sophismatis  
 ad augendam litem obstrepentibus: praeterea  
 nihil: in reliquis tribus, qui in prima illius  
 clientela sunt, cum introieris, eadem solitudo  
 cernetur: *quantitas*, *qualitas*que cum aliquot  
 servulis velut in excubiis obmutescunt: *relatio*  
 tantum caput e fenestra quadam exerit, promi-  
 nentibus communitatum auriculis ad excipien-  
 dum hostium strepitum: nihil amplius: quare  
 non video, cur in arce ipsa praedicamentorum  
 princeps constituatur: & eadem in excubiis  
 postpraedicamentorum vigilet: reliqua sex, ut  
 dixi, latent in insidiis: ne nomen quidem de-  
 finiunt: ordo ille rerum per genera, species,  
 differentias compositus nusquam est, in his ta-  
 men phantasticorum exercituum castris multi ca-  
 lones, caupones, pistorum, lignatores, fartores,  
 frumentatores quaestus & lucri gratia negocian-  
 tur, rides (ais), certe, & ex animo, vereque  
 rideo,

rideo, sed *ridentem dicere verum quid vetat?* pollicetur hic archifophista istis decem castris se rerum omnium genera, species, differentias comprehensurum: quod est ab humana facultate alienissimum: si enim omnis scientia cum ignoratione hominum conferatur, scientia instar candelulae in obscurissima nocte fuerit: at si essent ordines hi descripti, nihil esset non perspectum, non cognitum: est vero impudentia miranda in hoc homine, quod nesciat, nec homo quisquam scire possit, id quasi manifestum, & facile praetermittere: sic de sex ultimis categoriis agitur, quasi magnus ille Philosophus illas non ignoraret, sed despiceret, quas tamen homini cognoscere sit nefas: quod si categorias, quas Palladi vix, ac ne vix quidem fuerit concessum, complere potuisset Aristoteles, & hanc infinitam rerum varietatem in decem illos ordines digessisset, non aliquam Dialecticae partem tradidisset, sed omnes artes, totamque Philosophiam turbasset: quae melius in tres partes, Dialecticam, Physicam, Ethicam, quam in decem genera distributa est, & Dialecticae proprias aliarum artium materias attribuisset: & naturas, quae Physicorum sunt: quantitates, quae Mathematicorum &c. cum Dialecticae solum sit proprium, communem legem, & ad omnes res pertinentem tradere: non enim Dialectica dicere debet quid linea, superficies, corpus, numerus, habitus: sed legem explicare illa ipsa, sicut alia omnia, explicandi, iudicandique: substantias enim corporeas explicare Physici, earumque genera, species, & differentias non Dialectici: magnitudinum genera Geometrae, numerorum Arithmetici: & caetera in suis studiis artifices singuli debent: quanquam in eo ipso communibus Dialecticae legibus definiendi, dividendi, probandi, disponendi utantur: itaque si quae res scitu digna in hac confusione videatur, discatur in disciplina sua melius, substantiae in Physicis, Medicis, Theologis: quantitates in Mathematicis: habitus, & dispositio, naturalis potentia, & impotentia in moralibus: relatio, sicut actio, passioque in inventione Dialectica tractentur, & exponantur, non insana superstitione misceantur, & confundantur omnia: hinc vos auriculas Aristotelei miselli arrigite: definite (quod semper facitis) aliquando rudere: veram, liberamque vocem audite: Aristoteles aciem (quae per se tamen erat valde obtusa) cogitationum vestrarum perstrinxit: castra haec decem tam magnificis, tamque mirabilibus titulis illustra caecitatis tenebris circumdedit: praestigiarum, captionumque vanitate, & confusione perturbavit: o castra dementiae, fatuitatis, erroris: o deliramenta senis aegroti: attendite hinc o sophistae, & ad punctum temporis cogitationem liberi iudicii contra hunc archifophistam suscipite: quid est *praedicamentum*

quod appellatis? est (dicitis) ordo rerum uno summo genere comprehensarum per genera, species, differentias distributus: at haec Aristotelea fabulositas non est ordo rerum, uno summo genere comprehensarum per genera, species, distributus: non est igitur praedicamentum: hem fallone? retexamine rationem? argumentum quo utor, definitio vestra est: dispositio argumenti in secunda specie simplici, & modo quarto est: an recte concludo? distinguo (dicit aliquis iratus sophista) actu, vel potentia praedicamenta sunt: ergo vir sapiens, & divine sophista, quemadmodum tu omnium doctrinarum laude princeps es, non quia ullam nosti, sed quia ad eas cognoscendas potes aptus homo (si volet Deus) esse, sic praedicamenta tuo iudicio nulla sunt actu, sed esse possunt: potest enim deus aliquis (homo enim nullus potest) cognita rerum omnium genera suis ordinibus exponere: cupiditas vide quid facit: ego nimio studio veritatis asserendae pene lapsus sum: quamobrem habeo gratiam: quin etiam iam referam: audi, habeo (ni fallor) valde subtilem distinctionem, qua tu adversus istos rerum novarum autores utare: dic, o stulti, Aristoteles fuit primus filius naturae, cui omnia sua secreta aperuit: itaque sciebat artes occultas, & quibus est usus in praedicamentis: & ut nobiles perstigiatores solent, obduxit nubem omnium oculis, ne tantas opes hinc occultas agnoscerent: sic attoniti credent praedicamenta quaedam hinc esse Democritica ex inani, vacuoque mundo: qualem Xenophanes ait habitari in luna terram multarum urbium: multorumque montium: eadem ratio erit, si quis curiosus ex istis hominibus, qui tantum de utilitate, & veritate, nescio quibus, semper loquuntur, requirat, cur Aristoteles decem generibus confuderit, quod in tres Philosophiae partes commodius erat distributum: & quare Dialecticae tribuerit, quod sit aliarum disciplinarum proprium: dices enim quod Aristotelis erant omnia: quia filius erat primogenitus naturae: ideoque poterat pro sua libidine, non pro iuvenum utilitate (de qua nihil unquam audiivi) hoc modo totam Philosophiam phantastica coagmentatione congregare: pro deum, hominumque fidem: nunquam ne expergiscentur animi, ut verum cognoscant? adeone quemquam desidia, languor, inertia delectat, ut perpetuo dormire velit: aut si quando de die ociose cogitet, hospitem Aristotelem rogare malit, & quicquid responderit, credere: quam experrectus fenestram aperire? stellas, solemque suis oculis intueri, ut noctem diemque per se ipsum possit agnoscere? hinc omnes mihi clamores sunt adhibendi, ut dormientes excitem, omnes affectus tentandi: ridendum, execrandum, plorandum, irascendum, miserandum, omnes admovendae machinae sunt, ut homines ad amorem, charitatemque

que sui commoveam: ubi enim est amor tui, si te in voluntaria caecitate videam? ratione nihil homini Deus excellentius, amabilius, admirabilius dedit: tu te sic abiicies, ut inter te, & quadrupedem nihil intersit? quinetiam quadrupes te naturae iudicio superet? si enim asino lapides pro tribulis obiicias, sensus iudicio tale pabulum repudiabit, quia non sit eius naturae consentaneum: at si tibi tribulos opposuerit Aristoteles, nullo iudicio, nullo delectu adhibito repente vorabis, nefas esse putabis dubitare an naturae tuae congruant: an illae sint Dialecticae naturalis epulae? omni te iudicio privabis, ut hominem (quem Deus omnium animantium principem fecerat) Aristoteles infra asinos, pecudesque omnes amandare videatur: homini te ulli vendes, & addices? at qua mercede? dementiae, ut oculos semper in terram abiicias contra quam Deus voluit: nam (ut OVIDIUS ait)

*Os homini sublime dedit, coelumque videre*

*Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus:*

ut aures bene monenti nunquam praebeas: omnes iudicii, & rationis aditus intercludas: at cui homini? qui a suis popularibus demens, levis, loquax appellatur: sic enim apud LAERTIUM Theocritus,

*Hermiae eumuchi simul, Ebulique sepulchrum,  
Mente vacans vacuum struxit Aristoteles.*

Et apud eundem Timon,

*Sed neque Aristotelis levitas miseranda loquacis.* quid est, quod apud eundem Aristippus ait? Aristotelem Hermiae concubinam tam misere deperiisse, ut permissam sibi duceret uxorem, & ei cupiditatis ardore gestiens immolaret, ut Athenienses Eleusinae Cereri immolare soliti sunt: ergo Aristoteles Graecorum testimonio meretricem deam fecit, coluit: ô coelum, ô terras, ô maria Neptuni, huic uni domino liberos homines, & quidem eos, qui sapientiam in professione habent, omni libertate iudicii damnata, tanquam vilia mancipia, servire: caeteros in easdem calamitates, & miseras trahere? prohibere, ne potius rationem, naturam, veritatem, Deum ipsum, quam dominum suum sequamur? admirabili ingenio fuit (inquies) itaque & si vita aliquo loco lapsa esset, non idcirco non laudandum esset ingenium, recte (inquam) itaque ingenium separemus ab autoritate: veritatem spectemus, quam & si turbavit, obscuravit, depravavit Aristoteles, hominibus tamen omnibus anteponi voluit: hac enim defensione utitur in reprehendis praeceptoribus Socrate, & Platone: utamur igitur Aristotelis consilio, & unicam veritatem (ut iubet) habeamus pro omni autoritate: falsa libere repudiemus, inutilia sine metu damnemus, vera sequamur, utilia probemus: sed longius progressus sum, quam putaram: quamquam primis istis sophistarum castris expugnatis reliqua nobis

praelia faciliora esse confido. *Topica* in Aristotelea Dialecticae inventionis confusione proxima sunt: sic enim tenebras Aristotelis universas partitus sum, ut inventionis chaos Categoriis, & Topicis attribuerem: *Topica* igitur (ut nomen indicat) quod τόποις, id est, locis argumentorum inveniendorum viam designent, inventionis quandam speciem habent, sed ita dissipatam, distractam, & omni genere perturbationis offusam, ut de industria certasse videatur Aristoteles, ne quicquam utilitatis vel agnosci, vel accipi inde posset: nam cum paucis indicibus omnis inventionis humanae doctrina ad naturae conformationem notari posset, causis, & earum eventis, subiectis, & eorum adiunctis, & dissentaneis: unde *genus, species, nomen, notatio, coniugata, testimonia, comparata, divisio, definitio*, & haec omnia brevibus, & apertis definitionibus explicari, monstrarique exemplis possent, quod in nostris *Commentariis* efficere laboravimus, septem, praeter illa praedicabilia, praedicamentaque libri scholasticis altercationibus, amentibus clamoribus sunt impleti: in quibus vitia omnia quae sunt, si persequi velim, in molestam admodum & mihi, & legenti contentionem incidam necesse est: itaque de tam varia, multiplicique caligine duo duntaxat eruam, ex quorum aestimatione de caeteris iudicium fieri possit: alterum, quod ex omnium genere quaestionum quatuor sophisticas elegit Aristoteles, ubi Dialectica tantum vociferaretur: alterum, quae in illis ipsis quaestionibus iidem loci septies nimis pueriliter sunt inculcati: Dialectica naturalis homini a deorum familia depulso, & quasi capite diminuto ad omnia vitae subsidia divinitus attributa est, per quam licet ab illo beatissimo lumine, & omnia collustrante valde semotus, tamen res multas investigaret, observaret, agnosceret: & quicquid homini nosse fas esset, intelligeret: cuius virtutis si doctrina ulla describenda fuit, tam late, longeque patere, quam vis illa quam imitabatur: & ut Dialectica naturalis, sic artificiosa quaestionem omnem, quae ab homine tractari potuit, sibi proponere debuit: at hic sophistarum lanista in quatuor clamoribus quaestionum pistrinum constrictam Dialecticam compegit, ut tantummodo vociferaretur de accidentis, generis, proprii, definitionis problemate: quod hic primum querar? quod reprehendam? haec si quis nostris temporibus primus institueret, quibus stimulis confoderetur? bos, stipes, asinus, iure meritoque appellaretur: tu Aristoteles quia fecisti, non modo nullum crimen, sed maxima laus erit? vitia tua pro summis virtutibus habebuntur? Dialectica est doctrina omnium cogitationum, consiliorum, disputationum, deliberationum, rationum: tu ad problematis praesepe quatuor istis cornibus alligabis? an faces admovendae sunt, quae te tantae causae

causae indormientem exsuscitent? ubi est acumen illud Aristotelicum, quod plusquam divinum sopheris existimatur? ubi ingenium tanti, ut stulti admiratores praedicant, Philosophi? at Aristoteles scholasticam tantum Dialecticam in *Topicis* instituit: scio, & illud crimen quod confitetur, arguo: quod de industria Dialecticam ad deliras istas concertationes transtulerit: quae debebat in omni rerum quaestione, & disputatione prorsus eadem versari: unam enim inveniendi viam communem, unam iudicandi legem publicam Dialectica monstrare debuit: miror ad Aristotelis imitationem non esse factam Grammaticam scholasticam, Rhetoricam scholasticam, caeterasque artes ad scholae clamores acuendos non esse traductas. Iupiter bone, quam sunt Aristotelei misera servitute occaecati, an in ludo gladiatores alia docentur, quam sint in arena praestaturi? an aliis in rebus histiones domi exercentur, quam sint in scena acturi? an aliter (ut ad propinquiora veniam) pueri carmen condere, epistolam scribere, orationem recitare instituuntur, quam sint in rebus seriis postea facturi? cur Aristotelei habent in schola Dialecticam, qua, si pedem e limine extulerint, nesciant quibus in rebus sint usuri? verum quanam est ista Dialectica scholastica? Audi nunc Aristotelee, & similitudinem calamitatis tuae in alieno exemplo perspice: si magister aliquis puerum in Grammatica sic exerceret, ut praeeptionum omnium memoriam ab eo sollicite exigeret, nullum monstraret usum praeeptionum: quemadmodum me quondam vici mei magister, *musa* (dicebat) *cuius generis? foemini: dic per quam regulam,*

*Vocalis primae sit foemina.*

*Quotae declinationis? primae: dic per quam regulam,*

*Rectis as, es, a, dat declinatio prima.*

praeterea nihil ab eo didici, Ciceronis, Virgilii nullum verbum audivi: sed illi gratiam habeo, quod simpliciter se non multa scire fateatur, & me hortaretur ad meliora: si quis hoc tempore tam stulte sit insolens, ut bonis literis restituitis miseram illam viam sequi velit, & bonorum ingeniorum spem his tricis, apinisque fallere: non tu hominem nequam iudicabis? quid si non in omnibus Grammaticae partibus, sed in sola Etymologia iuventutis studia tam misere retardet, atque impediatur, quanto nequiores putabis? si autem unum alterumve annum in nominis, & verbi clamitatione retineat, & tantum puerum balbutire doceat, & tanquam picam garrere: quid nomen, quid verbum, quot sunt accidentia nominis, quot verbi: nonne magistrum dignissimum putabis, qui pascendo asinorum gregi praeficiatur? Grammatica enim sui gratia non est inventa, sed ut sermo aliorum, & puritas, proprietatesque cognoscatur: & ad hanc similitudinem discantis oratio

conformetur: de quo doctor ille nunquam cogitaverit: simillima vero sopherum princeps in his *Topicis* instituit: ut Dialectica, quae erat instrumentum ad omnem rerum explicationem repertum, miserrime in suorum praeeptionum loquacitate, deinde (quod multo miserius est) in una tantum parte, quae inventio est: postremo quod longe, multoque miserrimum, in unius partis quatuor particulis, accidentis, generis, proprii, definitionis problemate duntaxat occuparetur: quid istud est o Aristotelei? cur Dialectica tantum de quatuor quaestionibus garreret? cum vos rogabo, an estis sopherae, an vos iuvat muliebriter altercari, obmutescetis (credo) non enim rogo problema ullum de vestris, quibus tamen solis debetis respondere: an sophera sit genus Aristoteleorum, an Aristoteleis altercari sit accidens, an stolidi pertinacia sit eorum proprium, an omnia turbare, nihil veri tenere, falsis & captiosis abundare, subtiliter imponere, sit eorum definitio? atque hoc silentio indicabitis, quod quaero: nam taciturnitas verecunda quaedam est confessio: at omnia in quatuor problematis continentur: volo enim distinctionem aliquam de vestris somniis apponere: sic est profecto, parabola convenit: omnes Grammaticae quaestiones in nomine continentur, & verbo: rideamus Donati, Prisciani, Diomedis diligentiam: nomine enim verboque (ut Aristotelei censent) cognitis tota Grammatica cognoscitur, & qui bene de quaestione nominis, verbique respondebit, de tota Grammatica bene respondebit: quod enim interest vos quatuor particulas inventionis, pro tota Dialectica: ego hic duas Etymologiae partes pro tota Grammatica statuo: quam vero est tota haec Aristoteleorum natio fatua, & ridicula, & quam falsa tamen scientiae opinione insolens, arrogans, & superba? nautas crederes gravi aliquo praelio mari dimicare: navis aliqua machina concussa est? somniatur ex tempore distinctio aliqua velut instauratio: perforatur, & terebratur aliquo inopinato loco? piceata distinctio repente apponitur: denique nullum tantum malum est, cuius praesentissimum remedium ab aliqua distinctione non petatur: quae tum optima iudicatur, cum is (cum quo res est) perturbatur maxime: nec possunt sic eludentem, tergiversantemque adversarium longius persequi: ego vero mihi videre videor, quoties speciem tantae indignitatis animo subiicio, latrunculos, mendicos, egentes, famelicos, qui e cavernis erumpant, & in reginam potentissimam, nobilissimamque (quae tum forte procul a suis sola inambularet) impetum faciant, rapiant, in antra illa obscura vestigiis averfis, quemadmodum quondam Herculis

*Traxerat averfos Cacus in antra boves:*

spolient ornamentis omnibus, eaque misere captiva ad impuras, & flagitiosas libidines abutantur:

tantur: quid enim est aliud Dialecticam (quae fuerat omnium doctrinarum parens, & domina, omnium rerum, & obscurarum disputatrix, & disceptatrix incertarum) ab Aristoteleis in quatuor quaestiuncularum ergastulum trahi? & libidinibus amentissimae desidiae, servitutique subiici? & si tum forte conqueratur, alicuius distinctionis flagello caedi, atque verberari? Reliqua est in *Topicis* una laus Aristotelis longe maxima, quam pene imprudens praeterii: locos inventionis ut dixi, ad quatuor problematum altercationes adstrinxit: & cum semel in universum propositi quatuor quaestionibus, immo omnibus omnino accommodari possent, septies in *septem primis Topicorum libris* iterati sunt, & inculcati, ut (lubet enim in eadem parabola sapientiam huius hominis exequi) si Grammaticus ille noster, cum totam Grammaticam posuisset in nomine, & verbo, nominis accidentia describeret eadem saepius in nomine substantivo, & adiectivo, primitivo, & derivativo: verbi item accidentia in verbo personali, & impersonali, substantivo, & adiectivo: quis puer hunc Grammaticum non exhiberet? at pater iste sophistarum, argumentorum genera (quae non modo harum quatuor quaestionum, sed (ut dixi) omnium, si fluctuantem navem ad illum scopulum non appulisset, semel exposita probationem praebuissent) septem libris omni genere tenebrarum involvit: primo enim libro in quatuor instrumentorum traditione fere omnia adhibuit: in sex proximis fere semper eadem sine ulla varietate, nisi obscuritatis, novae enim tenebrae & perpetuae sunt: Ita duabus illis lernis *Topica* sua custodienda mandavit Aristoteles, ut ab altera quaestiones omnes, exceptis quatuor problematis, quae afflictae Dialecticae diloricatam togulam excuterent, & pediculos succussarent, repellentur: ab altera etiam in illis quidem problematis omnia conduplicatis saepius tenebris miscerentur: ne ullum veritatis, atque utilitatis naturalis vestigium appareret: quid hic commemorem propter lernas illas principes, minores hydras tam variis locis disseminatas? quid enim syllogismorum confusio in inventione, quid istorum quatuor problematum nomina (ut in Porphyriana salutatione exposui) contra omnis usus rationem distorta? quid ipsum problema, propositio Dialectica, positio, cur hac superstitione implicantur? an est ulla quaestio, ulla propositio, ulla positio, quae ab homine non Dialectico, id est rationis experte, & ignaro possit exponi? cur non omnia Dialectica, ut sunt, nominantur? quatenam ratio est in quatuor illis instrumentis, quanta inventionis ignorantia? an propositio est ulla, quae non ex argumento & quaestionis parte conficiatur? hic pharmaca Aristotelearum distinctionum alia ex aliis somniis compositum iri video: sed conside-

rari volo, quid verum, quid solidum, quid utile, quid ad naturam aptum, non autem qua captione quidvis defendatur: qua verborum calliditate, qua stultitia, qua pertinacia semel acceptus error retineatur: hac enim stoliditate nihil est tam absurdum, & incredibile, quod defendi non possit: nec quia non possunt Aristotelei tam mendaci, tamque insano morbo liberari, ideo mendacium praeponendum veritati: ad hanc tantam confusionem accessit & alia, sed ab eodem autore, confusio: triplex inventio ab Aristotele in *Rhetoricis* descripta est: prima in generibus causarum, minutissimis concisa praeciunctulis: altera communis ex universis generibus argumentorum: tertia media inter utramque in partibus orationis: quam in confusionem Cicero, Fabiusque auctoritatem Aristotelis secuti lapsi sunt: sed impostori culpa sua praestanda est, non iis, quibus imposuit: quatenam igitur his in rebus peccata primum commemorare? quodnam esse animalis monstrum putaremus, cuius pedes sursum essent erecti: venter deorsum abiectus: in quo tamen pedes replicarentur: caput in medio positum: at Aristoteles inventionis doctrinam simillima monstro illi specie depinxit: a singularibus enim causarum generibus, id est, a pedibus incoepit: deinde in medio universos fontes, id est caput, postremo partes orationis, & in his genera causarum, quasi ventrem revolutos pedes remanentem collocavit: hoc non aequae irridendum atque illud ab HORATIO descriptum portentum est?

*Humano capiti cervicem pictor equinam  
Iungere si velit: & varias inducere plumas:  
Undique collatis membris, ut turpiter atrum  
Desinat in piscem, mulier formosa superne:  
Spectati admissi risum teneatis amici?*

ubi est Aristoteles tuum illud tam frequens, & in tot tuis libris usurpatum praeceptum, semper ab universis ordiendum? cur tui tam immemor, capitis locum pedibus tribuis? at sunt fortasse haec utilia, quamvis non satis curiose disposita: veh, valeat curiositas, modo retineatur utilitas: itaque concedamus de nostro iure aliquid: utilitatem videamus: inventio una breviter ad imitationem naturae descripta poterat, & debebat, (ut una in Grammaticis Etymologia ad omnes partes orationis interpretandas) sic ad omnes quaestiones explicandas satis esse: cur in frustra infinita frangitur? de ordine iam nihil disputo: de utilitate disputo: an non est longe, multoque facilius puero paucis monitis artem discere, memoriaque complecti, quam tot libris dissolutam, dissipatamque laboriosissime, & molestissime persequi? ridebitur noster ille Grammaticus, & quidem merito ridebitur, qui Etymologiam in Grammatica triplicem, propriam, communem, mediam fecerit: quare? quia una communis illa omnibus partibus orationis quaecunque fuerint, satisfacit. Aristoteles

teleos igitur non merito rideamus: qui tenebras tam ridiculas, tam miseras, tam inutiles cumulant? quid enim est in primis illis & postremis inventionis locis, quod a communibus non sumatur? an exordii, narrationis, confirmationis, perorationis ad fidem loci, non ex illis universis, & communibus fontibus oriuntur? quid in generibus causarum novis praeceptis opus fuit? consilia enim fere constant ex causis: laudationes ex effectis, & adiunctis: iudicia ex omnibus accipi solent: quamobrem quaenam est haec amentia, cum brevissimam nobis, facillimamque viam ad omnes omnino quaestiones natura monstraverit, tam salebrosos, tam praecipites, tam longos, & molestos sinus persequi? Cyneas (ut PLUTARCHVS scribit) cum Pyrrhum ad Romanense bellum inclinantem cereret: nactus illum aliquando ociosum, in huiusmodi sermonem adduxit: egregii quidem bello Romani esse dicuntur, multisque bellicosis gentibus imperare: quod si eos superare dii nobis dederint, quid tunc agemus Pyrrhe? ad haec Pyrrhus, de re haud quaquam obscura (inquit) ô Cynea percontaris: neque enim barbara nobis, neque Graeca civitas resistere valeret, Romanis superatis: sed haberemus confestim Italiam totam, cuius minime magnitudinem, & potentiam te ignorare arbitror: parumper ergo commoratus Cyneas, enimvero cum Italiam ceperimus (inquit) quid tunc agemus? & Pyrrhus, nondum mente eius intellecta, proxima (inquit) Sicilia est, insula foelix, ac populosa, quae capi facile potest ob seditiones, ac discordias civitatum: recte dicis, inquit Cyneas, sed an finis militiae nobis erit, Siciliam cepisse? deus modo (inquit Pyrrhus) victoriam praestet: nam his veluti praeludiis utemur ad res maximas conficiendas: quis enim se Lybia abstineat, & Carthagine: quam nuper Agathocles clam ex Syracusis profectus exigua classe paulo abfuit, quin caperet? his autem victis, nullus nobis resisteret hostis: ita est, inquit Cyneas: constat enim, quod & Macedoniam recuperare, & Graeciae dominari certissime cum hac potentia licebit: sed victis omnibus, ac subactis, quid faciemus tandem? & Pyrrhus ridens, ocium (inquit) agemus: & quotidiana festiuitate, mutisque sermonibus, laetitiaque perfruemur: cum ad haec Cyneas Pyrrhum adduxisset: at quid vetat, ô rex (inquit) quo minus nunc ista laetitia, & festiuitate, & ocio perfruamur: adest quippe nobis sine labore facultas eorum: ad quae per sanguinem, molestias, & pericula nostra, & aliorum perventuri sumus: haec ARETIVS ex Plutarcho convertit: ita (redeamus enim ad propositum) si quem ex Aristoteleis (qui ista omnia legerit, veraque esse crediderit, & utilia) ociosum nactus, quasi discipulus eius sim futurus, pedetentim de tam longa via interrogem, idem quod Cyneae Pyrrhus, & si non eodem modo (nec enim decet hominem barbarum, & ineptum regio more loqui) responde-

bit, cum sic convenire coepero, terminorum ô magister, insolens admodum, & a bonis literis aliena disputatio mihi videtur, diuturni clamores, & molesti sunt: sed si diis bene favoribus molestias illas vicerimus, quid tum sequemur? tum ille, facile certe est ad interrogatum respondere, cognitis accurate terminis, & bene, fortiterque argumentando capiti penitus infixis, modum arguendi, distinguendi, concedendi, atque ex omni disputatione caute effugiendi, breviter (quod non ignoras esse primum, & maximum) terminos tenebimus: hinc si parumper velut assentiens moratus, iterum rogem, enimvero magister cum egregiam istam terminorum utilitatem perceperimus, quid sperabimus deinde: nihil sane de via tam trita haesitabit: proxima sunt (inquit) praedicabilia, propter dubiorum intrinsecus multorum intricatas bonas (crede mihi) difficultates bene disputabilia, ubi longe vehementius argumentari licebit, quam in terminis: unde multae sunt etiam bonae res, quae illic sunt: euge, recte, beate, sed an argumentandi & clamandi nobis hic finis erit? minime inquiet, sed ista nobis erunt praelibamina ac praecambula ad Aristotelis libros Praedicamentorum, Topicorum, quos primo legemus: intelligo inquam: audivi enim perobscurum esse Aristotelem, nec sine causa prooemiis istis tam accuratis auditores praeparari, ut se constanter, & fortiter in tam difficilibus rebus gerant: & suspicor (cum erunt aliquot menses in terminis, & praedicabilibus bene volutati) ad reliqua, id est Praedicamenta, Topica, quinetiam Rhetorica (si velint) eosdem profus esse perventuros: sed toto anno his in rebus consumpto, & stomacho tot clamoribus debilitato, si scholam relinquamus & ad Poëtarum, Oratorum, Iurisconsultorum studia vocemur, quid erit solatii? quid fructus tandem? Hic Aristoteles nihil quemadmodum rex ille ridebit, sed attonitus haerebit, qui nullum unquam in scholasticis vociferationibus verbum audivit, de tam multorum librorum usu: sed finge versatum in literis, cognovisse magnas inventionis esse commoditates, & artis illius in tot libris esse suspicetur: dicat itaque inveniendi vias libris illis contineri: tum idem, quod Cyneas, postremum quaeram, quid vetat, ô magister, quominus uno libello, uno vel etiam dimidio mense illius artis utilitatem capiamus? Aspice brevissimam illam naturae scientiam, quatuordecim non libris, sed vocabulis comprehensam & distinctam, causis, effectis, subiectis, adiunctis, dissidentaneis, genere, specie, nomine, notatione, coniugatis, testimoniis, comparatis, distributione, definitione, hisque rebus omnibus, copiosissime dotatam & locupletatam: ad quas per tot millia molestiarum, clamorum, miseriarum, per tot volumina Terminorum, Praedicabilium, Praedicamentorum, To-

Topicorum, Rhetoricorum, per tot millia (quod omiferam) introductionum tilmanicarum, trapezontinarum, fabrilium, caesarinarum non ducimur: sed ineptissimi efficitur: Ad propinquum naturae gymnasium deducendus tibi diligenti videlicet paedagogo in hac Academia Parisiensi traditur puer: tu trahis in Britanniam, Germaniam, Sarmatiam, Indiam, per infinitas terras, infinitaque maria: ut tandem huc in vicinam domum peragrato terrarum orbe claudus, fractusque vix, ac ne vix quidem perveniat: ô caecos viae duces: ô calamitosos erroneos: nunquam quid agatis intelligetis? nunquam libera mente de tot vestris peccatis, & flagitiis cogitabitis? qua fraude vosmet ipsos, quam misera opinionum servitute implicaveritis? quod exitium bonis, & innocentibus comparatis? sit aliquando finis insaniendi, naturae consiliis utamur ad necessitatem vitae: opinionum commentis non conturbemur, colligamus nos ipsos, resipiscamus: veritati debitum honorem tribuamus: sit secta nobis una non Platonis, non Aristotelis, non hominis cuiusquam, sed veritatis, cuius sectatores, & aemuli cuiusque investigandae, & aestimandae periti, *Dialectici* nominentur: quicquid huic consentaneum erit, laudetur, & ametur: quicquid dissentaneum, damnetur, & abiiciatur: sed sit persequendi modus, & quanquam sunt infinita hominum istorum delicta, moderatio tamen reprehensionis adhibeatur: ab hoc inventionis chaos ad reliquum iudicii chaos transeamus: hinc mihi omnes Musae, & Charites sunt implorandae, ut publicam pestem, & tot iam seculis corroboratam, atque inveteratam aegrotantibus ostendant: phanaticis quibusdam ingeniis persuadeant, ut se colligant: naturam suam intueantur: Dei Optimi Maximi munera (quibus affecti sunt) suspiciant: intelligant quanta, quamque singulari dote, quam precioso Dialecticae naturalis pignore Deus hominem illum aeternum cum caduco, mortalique corpore copulaverit: cuius pars longe optima divinissimaque cum iudicii prudentia contineatur, animadvertant ne nimis ingrata, barbaraque impietate divinam munificentiam despiciant, nimiumque stolido, dementique furore non perturbatorem tanti boni, sed ereptorem, non hostem humani iudicii, sed tortorem, carnificemque diligant: sic enim verissime profiteri possum, si daemonum omnium conventum aliquem princeps ipse tenebrarum de extinguendo doctrine huius lumine ageret, auditaque singulorum sententia statueret, non perniciosius, exitiosius, calamitosius quicquam reperturum, quam ab uno Aristotele repertum est.

*Dii talem terris avertite pestem.*

Quid est iudicium ô domine Aristoteles, ô unice naturae fili, ô deus amentium, statim dormit: genera iudicii quot sunt? nondum e som-

no excitatus est: sed fortasse deus iste per sacerdotem, aut interpretem aliquem loquitur: heus Aristotelei sacerdotes, quoniam deus vester dormiens nos hinc despicit, quid est iudicium? quae sunt iudicii genera? Pythagorei ex Aristoteleis facti sunt: demisso supercilio terram intuentur: tacent, nec sibi assumunt, ut in tanto domini silentio, vel hiscere audeant: ô pictores Apelleos, ubi est in hac admirabili tabula iudicii definitio, id est, caput? ubi genera, id est, membra propositae vobis imaginis ad imitandum? an ego audax, temerariusque sum, qui portenta vestra patefacio: an vos scelerati, facinorosique hostes humani generis, qui veneficiis istis liberalia, atque ingenua studia corrumpitis? animos iuventutis ad sapientiam natos infatuatis? sed magna laus est Aristotelis, atque haud scio an maxima, obscure, perturbate omnia confundere: arcere enim voluit (dicitis) tardos, & hebetes ab hac gloriosa disciplina:

*Procul ô procul este profani,*

*Conclamat vates, totoque absistite loco.*

At ô ingeniosi sophistae, artes non sunt excellentium, & perfectorum ingeniorum gratia repertae (qualia vobis vestro quidem iudicio finxit natura) ut soli tam admirabilem Aristotelis sapientiam perciperetis: sed tardorum illorum, & hebetum (quos deus vester contempsit) causa sunt inventae, ut iis adiumentis doctrinae confirmati, eo diligentia, & labore pervenirent, quo vos beatos natura sine ulla molestia perduxisset, itaque definita hac magnifica defensione, & praeclara uti: quae vos quales estis, manifeste nimis, & aperte demonstrat: intelligitis quid dicam? nondum enim succenseo, sed esto tamen (nihil enim quod concedi poterit, invitus negabo) Aristoteles obscurata confusione apud vos nobilis, & insignis: occulta in Aristoteleis foliis oracula videamus. At tenebrae sunt obscurissimae, quomodo cernentur? opponamus naturae lumen his tenebris: & cum iudicii confusione, eius distinctionem conferamus: sint igitur harum tenebrarum genera iudicii generibus opposita, ac primi iudicii primo, secundi secundo, tertii tertio loco perturbationem persequamur: quid est igitur primum in primo Aristotelis iudicio? libellus est de *interpretatione* mirifica inauditae fatuitatis illusionem implicatus: nihil enim toto libro exceptis contradictionibus, iisque perturbatis, Dialecticum est: contradictioni siquidem locus in iudicio non erat: argumentum enim est contradictio, quod inventio suppeditat: non argumenti dispositio, quae iudicii doctrina continetur: cur ergo inter has spinas abiicitur? neque id erat ab Aristotele ignoratum: dedit enim contradictionibus in *Topicis* locum proprium: sed illa gloria perturbandi retinenda fuit: at non satis est una in re una con-

fusio: contradictioni falsae species attribuuntur: nam cum definit contradictionem, *unius, eiusdemque rei affirmationem, & negationem*, singularem quandam contradictionem excogitavit: ut

*Quidam homo ambulat, quidam homo non ambulat.*

O callidum, & vafrum sophistam: potestne res eadem numero vere simul affirmari, negarique? non (inquires): at in proposito exemplo res eadem numero affirmatur, negaturque: secus contradictionis definitio non conveniet: quid hinc concludam? utrum te mendacem, & vanum, qui rem inenodabilem defendis, & contradictionem esse, & utrinque veram: an prima definitione lapsus? at definitio vera est, vanitas ergo tua damnetur: hoc solum erat in hoc opere Dialecticae proprium: idque (ut apparet) & falsa, & contraria institutione perturbatum: reliqua literatoris plane bardi, & sophistae litigiosi ridendam, atque explodendam vanitatem complectuntur: de nomine, verboque quid sint, addubitat: quot sint verborum modi, quae oratio indicat. operat. &c. quae affirmat, negat: quae est uno sensu simplex, quae multis coniuncta, quid suppositum orationis, quid appositum (sic enim Grammatici loquuntur, hinc sophistae *subiectum, & praedicatum* / nominant) quid commune, proprium, universum, singulare, de quibus initio contra terminales illas statuas disputavi: qua excusatione haec defenduntur esse Dialectici iudicii? ignoranda non sunt, fateor, sed nec nominum, verborumque declinationes & coniugationes futuris Dialecticis sunt ignorandae: an ideo Dialecticus hic magister docebit, partes orationis per casus temporave inflectere? non enim minus haec, quam illa Dialectico necessaria sunt: sed longe aliud est, aliquid in arte sciri oportere: aliud in ea perturbare, atque inculcare: usus artium multis est saepe rebus coniunctus: praecepta tamen ratione, locoque distinguenda sunt: quamobrem reddantur Grammatica Grammaticis, Dialectica tractentur a Dialecticis: hinc certe lubet admirari, Aristoteles tam fuisse Grammaticis insensos: puto cum bellum illud Grammaticum inter verbum, nomenque tam pertinacibus odiis gerebatur, Aristotelem cum suis praedonem aliqua in sylva proxima fuisse: unde terminos, categorias, hunc totum locum Grammaticorum spoliis implevere: sed pacatis iam pridem, compositisque rebus, imperioque Grammaticorum optime constituto, cur illa latrocinia permittuntur, ut sophistae sibi vindicent, quod sit Grammaticis omni iure debitum? cavete o furunculi Aristotelei, ne dica vobis impingatur: nemo patronus unquam tam disertus adhibebitur, ne vestris quidem omnibus distinctionibus instructus, qui vos etiam longissima & multis diebus commentata oratione possit

defendere: quod si iudicium contemnitis, Grammaticum bellum non pertimescitis? non horretis, quod si nocte aliqua exciteretur,

*Quis cladem illius noctis, quis funera fando*

*Explicit? aut possit lachrymis aequare labores?*

Itaque constringite potius authorem furtorum istorum Aristotelem, & Grammaticis una cum furtis dedite, ut legitimum de eo supplicium sumatur: ne tota gens vestra tanti belli vastitate pereat. Sed haecenus de Grammaticorum causa: sophismata (quae restant) videamus, quae ex multorum dierum sophisticis concertationibus, in schola ab hoc archisophista collecta esse, coniectura quidem non mala fuerit: primi itaque diei theses fuere de Grammaticis, ubi graves quaestiones partim surreptae, partim per phrenesim quamdam somniatae: ex scientia enim, quae de anima est, una valde difficilis, & obscura quaestio defluxit, quomodo imagines rerum conciperentur animo, & quomodo voces earum essent nuntiae, & interpretes: item vocum literarum, tum, quemadmodum res rerumque perceptae imagines eadem, variae autem variarum gentium voces, & literae: quae omnia quia fatetur Aristoteles aliena esse, credam homini haec verissime affirmanti: ait enim, *de his vero dictum est in his, quae sunt de anima: alterius enim est negotii*: in nomine autem, & verbo infinitis quam tortuosa somnia sunt? de quibus nihil invenio, quod dicam, nisi forte credas, quo tempore chimaera mentes hominum perambulet, reliquisse in Aristotelis mente duas istas lernulas, quae duntaxat, ut visa inania somniant apparerent: easque si excitatus requireret, sentiret cum somno evanuisse, nusquam apparerent: nullus Poeta, nullus Orator, nullus Philosophus, nullus ne ex his quidem, nisi cum in hac quaestione sunt, sophista his utitur. Tertia quaestio est, *de futuro contingenti in contradictione permixta*: quae quam foecundum pabulum, quam gratum sophisticis ociosis attulit? hinc iactationem habent in populo, & subtilitates suas ostentant: quamquam tota res ut hinc est posita, si Dialecticum lumen adhiberetur, facilis erat, & duobus his comprehensa syllogismis: quibus Aristoteles probat contradictionis veritatem in contingenti futuro non esse definitam: altero sic,

*Si definita sit veritas contingentis futuri, fatalis erit necessitas accipienda,*

*Hoc vero perabsurdum est:*

cum videamus quarundam futurarum rerum principium in nobis esse:

*Illud igitur perabsurdum erit.*

altero sic,

*Quae natura rerum est, eadem est enunciationum:*

*Quaedam vero res sunt ancipitis eventus, & inconstantis:*

*Tales igitur erunt earum enunciationes.*

Quarta quaestio est de *enunciationibus finitis, &*

*in-*



*indefinitis*, ex chimaericis nominum, verborumque somniis: in quibus quam anilia, delira, errantia, vaga, caeca sunt omnia? hinc collatas esse multorum dierum insanias ex rabie insanorum sophistarum arbitror: primo enim quando secundum adiacens attributum est, octo enunciationes, quatuor indefinitae, quatuor universae ex subiecto finito, infinitoque sunt: ut

*Homo ambulat, homo non ambulat:*

*Non homo ambulat, non homo non ambulat:*

*Omnis homo ambulat, nullus homo ambulat:*

*Omnis non homo ambulat, nullus non homo ambulat:*

Totidem fient, si infinitio ad attributum transferatur: ita erunt decem & sex: quod si subiectum, & attributum simul infinitionis nota afficiantur, quatuor & viginti numerus duplicabitur: si tertium adiacens attributum sit, erunt quadraginta octo enunciationes: si pro indefinitis addas singulares, rursus duplicabitur, & erunt nonaginta sex: postremo quod interpretes fecere, si privantes admisceas pro indefinitis, dupla erit multitudo, & enunciationes erunt centum quadraginta quatuor: quid in hac rabie sophistae quaesiverunt? estne hinc inventionis iudicii que ulla scintilla? nulla omnino: est utilis ad aliquas res exercitatio? animi nullam video, ne corporis quidem suspicari possum, quid hinc expiscari potuerint: nisi forte cruditate stomachi laborarent, atque ut accipitribus avium praedatoriarum magistri, curando ventri devorandam stupam, vel rodendum lapidem aliquem obiciunt: sic sophistis Medici praeceperint, ut aliquot dies vociferando quaestiones istas futiles, atque inanes ieiuni arroderent, & hac sophistica curatione ventres exinanirent. At etiam hinc Aristotelei aenigmata esse gloriatur, & arcana quaedam inexplicabilia: quando autem (*est*) tertium adiacens praedicatur, dupliciter dicuntur oppositiones: dico autem ut est iustus homo: tertium dico adiacere nomen vel verbum in affirmatione: quare ob id ipsum quatuor erunt illae: quarum duae quidem ad affirmationem, & negationem se habebunt secundum consequentiam, ut privationes: duae vero minime: hoc est aenigma Aristotelis, ut ipsi se efferendo gloriatur interpretes: o miseram Dialecticam, in quorum latronum manus incidisti? tu eras homini concessa, ut occulta investigares, illustrares obscura, at ecce prompta occultas, obscuras illustras: Sphynx bellua quaedam biformis, olim proposuisse Thebanis aenigma dicitur: quod qui dissolvere non posset, ab ea necaretur: itane vero misera Dialectica, belluam te isti homines faciunt: quae aenigmata non fortuitis viatoribus, sed tui studiosis, & amantibus, non corporis, sed animi periculo proponas? Oedipe subveni, dissolve aenigma, & belluam interfice: at quale istud est aenigma? *affirmationem finitam sequuntur duae negationes in-*

*finiti, & privati attributi, non contra: nihil aliud? nihil certe: utinam cruditas illa sophistas omnes perpetuo vexet, modo contagio morbi noceat nemini: sanos & incolumes non contaminet: aspectu ipso non fascinet. Interposita est quinta quaestio de *coniunctis, & divisis*, inutilis quidem, sicut omnes Aristotelis regulae: syllogismus enim satis, superque omnibus aestimandis quaestionibus est: nec unquam fallit, sed hae regulae ex ignoracione iudicii profectae sunt, & multis locis profeminatae ad ingenia turbandum. Sexta quaestio est, de *modalibus* (ut appellant) omnium maxima, praestantissimaque in cuius initio propter excellentiam titulus est a sacerdotibus Aristoteleis inscriptus,*

*De modalibus non gustabit asinus.*

Quem quidem agnosco ex insolentia illa natum, qua persuaserunt sibi Aristotelei, se solos ingeniosos, sapientes, beatos esse: itaque appellant asinos caeteros mortales, qui haec mysteria vel non assequuntur, vel aspernantur: sed inveni, qua ratione istis sapientibus stomachum faciam: itaque si me commoveant, distinctionem aliquam expediam, qua vel inviti nauseam faciant: quaenam est (dicet vestrum aliquis): quaenam inquam, attendite, *de modalibus non gustabit asinus*: ego distingo, asinus molarius, verum est, asinus Aristoteleus, nego: ha, ha, he, quid ridetis, ruditis dicere debebam: an ut haec vera sunt, ita grata vobis accidunt? primum in hac asinina sapientia quid est tam admirabile? video primam concertationem fuisse de genere affirmationis & negationis in modalibus: quae more caeterorum primo ex verbo ipso negari dicuntur, ut caetera pronunciata: deinde id refellitur, tandemque concluditur ex solo modo negationem definiri oportere: quia contradictionis partes essent simul verae: utrum igitur flagitium maius est contradictionis propriae partes simul esse veras, an simul esse falsas? par (ais) eademque culpa est: at si negatio solum modum complectatur, utraque pars contradictionis falsa simul erit, ut

*Aristoteles bellua est necessario:*

*Aristoteles bellua est non necessario.*

Dicite obsecro Aristotelei, utram harum vultis esse veram? neutram credo: nimia enim esset amentia, belluae mancipia vos esse: at si modum cum verbo amplecti placet oportere, ut ego disputo, nulla erit negationis cum caeteris enunciatis differentia: ut

*Plato disputabit hodie in academia:*

*Plato non disputabit hodie in academia:*

Nec certe modi quatuor illi a sophistis hinc selecti, omnes modi sunt, nec solis illis utimur: quotquot enim adverbia, tot modi verbis adiecti, quotquot nomina cum verbo ita iunguntur, ut *sanctum est veritatem tueri, pium miseris consolari*, &c. sed quatuor illi ex omnibus tum forte in mentem venerunt: cum terribilis illa

modalium quaestio disputabatur: contradictione itaque constituta, trium dierum scholae sequuntur: qua ratione dispositae modales dominae, aut pedissequae essent, id est, antecederent, consequerenturve: primus ordo (quo dispositae fuerant contradictiones) non quadrabat ad numerum: ideoque retexendus fuit: secundus, qui ex correctione primi factus est, non improbatum quidem, sed tertio tantum postponitur: ita versandae toties & commutandae loco, atque ordine fuerunt modales enuntiationes, antequam apte inter se, & convenienter coirent: verumtamen quorsum haec tam subtiliter, tam ingeniose, tam bene? quid habet ista res utilitatis? an non eadem est modalium, suppositionum, ampliacionum, exponibilium ratio? haec explosa sunt, quia sine usu, sine fructu, sine emolumento ullo summo labore discerentur: cur paribus in causis non est eadem iudicii ratio? hic est *μωτασιβελγία*, id est, ut FABIVS ait, *supervacua artis imitatio*: qualis illius fuit, qui grana ciceris ex spatio distante missa in acum continuo sine frustratione inferebat: quem cum spectasset Alexander, donasse eum dicitur eiusdem leguminis modio: quod quidem praemium fuit illo opere dignissimum. Quo igitur sophistas istos, cum multum, diuque de modalibus ordinatim statuendis laborarint, munere donari oportebit? impleantur tres modii tribus modalium ordinibus, & offerantur a discipulis magistro, remunerationis gratia: iusta enim ratio est, ut qualis sementis fuerit, talis messis existat. Postrema quaestio de pugna enuntiationum, an e rebus contrariis, an e modo enuncian- di contrario nascerentur: quod ex definitione contradictionis illius universae, quam *contrariam* hic dicunt, satis erat intellectum: sed consuetudo retinenda fuit: obscuranda nugis, & impedimentis omnia: arcendi fuerunt ab his adytis hebetes & tardi: o vos hebetes Aristotelei, & servi domini nimis obsequentes: haec confusio, haec sophismata, haec aenigmata, haec chimericae somniorum fascinationes rationem, iudiciumque vobis eripuerunt: adhibete aliquando vos in consilium, si potestis, & vosmetipsos sic interrogate, quid me labor hic adiuvat? an quia de nomine, verboque, de pronuntiatis finitis, infinitis, modalibus, discipulos meos mille argumentis perturbare, & me ipsum imprimis didici, ideo dignum homine quicquam didici? an his adiutus nugis potero vel amicis inconsideratis consilium dare: vel afflictos molestia levare: vel effrenatos reprime- re? nihil minus: an in foro causas agere, improborum nomina deferre, sceleribus explican- dis iudices commovere, an innocentes tueri, & supplicio liberare? nihil simile: an in Chri- stianis concionibus populum docere: sacras li- teras interpretari, malis erroribus obfistere? ni- hil hic quoque: quid ergo est? egredere e scho-

la tua, in quam cogitatio utilitatis nulla unquam ingressa est: require tanti temporis, quantum hic misere consumis fructum, si quem reperies, dic me sceleratissimum, qui deum tuum tam severe exerceam: si nihil cum omnia iustraveris, invenies, ignosce tam iusto dolori, & contra tam multos hostes utilitatis publicae gra- tia suscepto: desine fatuus esse, & bonos ado- lescentes, qui te nihil offenderunt, infatuare: dic librum istum Aristotelis, non de *interpreta- tione*, sed de *confusione* appellari debere: omnia esse, excepta contradictione (quae & hic non esse, & non sic tradi debuit) contortis, & acu- leatis sophismatis referta, ad fallendum, tur- bandum, impediendum ab improbissimo, ne- quissimoque sophista composita: sed de his deli- ramentis satis: ad alia pergamus. His praecla- ris iudicii fundamentis ita constitutis *Analytica* sequuntur, in quibus omnis veritas naturae re- texta, dissolutaque est: huc omnes inferorum (credo) tenebrae sunt immissae:

*Dii quibus imperium animarum, umbraeque si- lentes:*

Sic enim cum Poëta lubet exclamare,

*Et chaos, & phlegethon, loca nocte silentia late,*

*Sit mihi fas haec monstra loqui, sit numine vestro*

*Pandere res alta terra, & caligine mersas.*

His miseris involuti tenebris, ut apud inferos Aeneas Sibyllaque, sic sophistae,

*Ibant obscuri sola sub nocte per umbras,*

*Perque domos Ditis vacuas, & inania regna:*

*Quale per incertam lunam sub luce maligna*

*Est iter in sylois, ubi coelum condidit umbra*

*Iuppiter, & rebus nox abstulit atra colorem.*

Quamobrem libera ingenia (quibus nostri labo- res devoentur, quorum pro salute, & digni- tate vigiliae nostrae tantum certamen ineunt) adeste, animadvertite, cognoscite miserabilem naturae vestrae calamitatem, non tam mihi sty- lo persequendam, quam vobis omnibus diris devoendam: verumtamen ne semper Aristote- lei caeci sint, qui viam qua gradiuntur non vi- dent, nec errare se sciunt, accendamus & hic secundi iudicii lumen, definiamus, dividamus, ut tenebras ostendamus apertius, & facilius de- pellamus, atque ab ipso primum nomine or- diamur: *Analyticon* opus universum nominatur: unde? a Graeco verbo *ἀναλύειν* quod *retexere* & *delere* significat, nempe quod haec ars quasi Penelope telam retexens, tollat ad extremum & destruat omnia: nomen certe operi conve- nientissimum. *Analytici* itaque libri definiun- tur, quibus hominis naturale iudicium corrup- pitur, atque hebetatur: corrumpendi autem atque hebetandi iudicii artes variae multipli- cesque sunt inventae: sed tamen hic libris qua- tuor ab auctore suo comprehensae: quae syl- logismorum fructus non aliter custodire, ne quis

quis eos attingat, quam aurea illa mala in hortis Hesperidum pervigiles belluae, draconesque infomnes videri possunt: aditus obscuri, & fallacibus viis interclusi: quos cum perviceris, excipiunt novae, praecipitesque rupes, lacus interiacent obiecti, atrae obstant ingredienti sylvae, difficultates innumerabiles obiciuntur: ac tandem sequuntur elusiones, somnia, delirationes: primus itaque liber hortos illos pretiosos habet, sed monstris immanibus circumseptos, vallatosque: secundus praestigiis, & incantationibus eludit: tertius, & quartus summa, & perfectissima insaniendi doctrina, captos iam mente instruunt, & exornant: nec ulla e tantis malis elabendi spes est, nisi tenebras omnes sacrorum Aristoteleorum, diis inferis (quibus debentur) devoveas: & te naturae, ac libertati restituas: siquis igitur est liber, & miseris illis sacris solutus, duce natura hos hortos ingrediatur, facile monstra haec omnia superabit: quatenus sunt ingentes, & portentosae belluae: quae primum statim vestibulum custodiunt? principia sunt, *dici de omni*, & *dici de nullo*: quid istis nominibus portenditur? omnes Aristoteles videri sibi de omni re posse dicere, cum tamen nunquam de ulla bene cogitarint. Calumniator audio, quid potest his admirabilius esse principiis? quid relinques Dialecticae si principia nostra subvertas? tu me o vir bone, calumniatorem vocas: at ego te, tuique similes, id est, sophistas & veritatis hostes non calumniari, sed tollere, atque interficere volo: bello contra vestrum genus universum, non calumniis decerto: itaque deliras, quando tam graviter lacescitur, tam leviter repungis: appella me hostem vestrorum mendaciorum, oppugnatorem vestri generis, id est, quod dicere non vis, sophistarum: tunc intelligam animi tibi aliquid esse: sed tamen tandem aliquando de tuis principiis audi: non audiam (dicis) vetat Aristoteles: at veritas iubet: non curo, nihil audiam: heus Aristotelee, aspice an haec principia nigra sint, cur manum oculis opponis: aspice saltem per rimulas interersistentium digitorum: non faciam, credo Aristoteli alba esse affirmanti: at tolle paulisper manum, oculos aperi: ecce Aristoteles permittit: hem? Aristoteles permittit, ut oculos aperias: mandavit enim servis suis omnibus in quadam *Ethicorum* lege, ut veritatem rebus omnibus anteponerent: visne iam Aristoteli, non dico veritati, parere? viceris, ais: quid tum? nonne principia haec alba sunt? at iam laudo te, & virum agnosco, qui apertis oculis rem spectas: sed accedamus propius, ne fallamur, & certius intueamur: principia ista ut arbitror inventa sunt ad syllogismos simplices primae speciei probandum? minime, ad illustrandum? nequaquam: ad quid igitur? ad reducendum? & resolvendum: quemadmo-

dum tempore pluviae pastor reducit: parabolam intelligo: principia sunt domicilia syllogismorum primae figurae, immo secundae & tertiae: nam secunda, & tertia primae potestate continentur: ideoque quemadmodum boves ad stabulum redeunt aliqua necessitate compulsae, sic si qua vis syllogismis obsistat, redeunt ad principium: video, inquam, consilium, & agnosco, eique certe pene assentior: sed exponam tibi meam rationem: tum fortasse ea reiecta Aristoteleus fiam: verum attende, quando syllogismum facis, nonne quaestionem aliquam probare vis, & eam veram, falsamve iudicare? volo: ut si quaererem abs te, an sophistae sint execrandi? & hunc syllogismum faceres,

*Omnes impostores sunt execrandi:*

*Omnes sophistae sunt impostores:*

*Omnes igitur sophistae sunt execrandi,*

non concluderes, quid quaererem? concluderem, at vide quid in syllogismo feceris: argumentum fuit *impostor*, quod ita dispositum est, ut primum antecederet maius extremum: deinde consequeretur minus, affirmatum universe: ut quaestio universe affirmata concluderetur? sic est: nec omnino iudicari potest de quaestione, nisi argumentum cum ea disponatur? non potest: est igitur iudicium hoc primum, id est, syllogismus certa, perfecta, constansque dispositio? est: quem syllogismum omnium iudicas esse clarissimum, facillimumque? primum primae speciei simplicis, deinde secundum, tum unumquemque prout ad illos accedit: amabo te, quoniam simpliciter, & sine ullo furo agimus, pergamus: si quis stolidus, & Dialectici iudicii, communisque sensus expertus, syllogismi constantiam non videat, demonstrarique sibi velit: nonne clariore, & veriore dispositione in huiusmodi demonstratione, uti necesse est? necesse est: ut si fiat hic idem syllogismus,

*Omnes impostores sunt execrandi,*

*Omnes sophistae sunt impostores:*

*Omnes igitur sophistae sunt execrandi.*

Cuius conclusio non satis illi stolido, propositione, atque assumptione positae firma videatur: ideoque ut dixi, demonstrari sibi velit: quid si hoc modo demonstremus? *si execrandus dicitur de omni impostore, & impostor de omni sophista, necesse est ut execrandus dicatur de omni sophista*: quid inquam, hac sola connexa propositione syllogismus ille plenus recte demonstrabitur? stulta, ita me deus amet, & ridicula demonstratio: quae pro argumento sumit, quod erat in quaestione positum: dubitabatur enim de illa dispositione, an quia execrandus diceretur de omni impostore, & impostor de omni sophista, ideo execrandus de omni sophista diceretur: quod idem ad se ipsum demonstrandum pro argumento sumitur: deinde altera culpa est, multo absurdior, quod perfectissima dispositio per mancama, & imperfectam iudicatur: intelligo, quid

quid si inchoatum illum syllogismum absolvamus, & hoc modo demonstramus?

*Si execrandus de omni impostore, & impostor de omni sophista dicitur: & execrandus de omni sophista dicitur:*

*At execrandus de omni impostore, & impostor de omni sophista dicitur:*

*Dicitur igitur execrandus de omni sophista.*

An rectius inquam hoc modo faciemus? posteriorem quidem culpam aliquo modo vitamus: syllogismo enim quamvis minus claro, attamen pleno utimur: at in priorem culpam relabimur, quia idem per idem demonstramus: quid si alio modo quopiam, an irridendi semper erimus? erimus certe: quoniam dispositioni illi primae clarissimae, & perfectissimae qui non crediderit, minus perfectae, claraeque quomodo crediturus est? & dispositio (ut diximus) nisi dispositione veriore & clariore demonstrari non potest: age porro: laudo ingenium, moresque tuos: quis de tot erroribus (in quos incidimus, dum volumus syllogismum illum demonstrare) omnium est stultissimus? omnes certe valde fatui sunt, primus tamen omnium stultissimus: da dextram obsecro bone vir & confide: verum enim tenemus: hic stultissimus error non noster est, sed Aristotelis: qui docet lumen illud clarissimae certissimaeque dispositionis tenebris suorum principiorum demonstrare: sic enim ait, *Si A. de omni B. & B. de omni C. necesse est A. de omni C. praedicari:* prius enim dictum est, quomodo *de omni dicimus*: ubi propositio connexa illa est cum argumento de quaestione sumpto, & stultissima certe (ut fateris) demonstratio: libram enim habemus in syllogismi dispositione certissimam: in quam cum argumentum, id est, pondus, & quaestionem, id est, rem ponderandam imposuerimus, tum sine errore iudicemus, cuius constantiam, & veritatem, si quis probare velit, afferat necesse est, certiore, & firmiorem libram: at Aristoteles fractam, & dissipatam, immo pondus ex illa ipsa (quam probare vult) libra coaggeratum affert: est enim principium illud *dici de omni*, argumentum totius ad partes ex dispositione primi syllogismi sumptum: quamobrem vide quam foede, quamque turpiter Aristoteles, Aristoteleique delirant: quae sunt igitur (inquies) syllogismorum principia? nulla, ipsi sibi syllogismi principia sunt: primae enim sunt Dialectici iudicii observationes, quae quia verae, naturalesque sunt, ideo sunt probandae: ratio alia nulla est: quid frontem contrahis? irasceris? manum ad oculos reducis? poenitet te aliquid vidisse? quid obmurmuras? Aristoteles dixit, ais, ergo verum: rationem aliam nolo, quia non est de principiis disputandum: est autem Aristotelis autoritas nobis pro omni principio.

*O miser, inque dies ultra miser, huccine rerum*

*Venimus?*

Quid est Aristoteles? idololatra, ut Graeci dicunt, & quidem meretricis: quid est veritas? deus: tu scelerate veritate deserta, deoque damnato meretricolam hunc sequeris? nec quemquam Philosophum iudicas, nisi qui tribus Anticyris, caput insanabile nunquam tonsori licino commiserit? agnosce lernas istas custodes syllogismorum, perturbatrices furias & Eumenides vexatrices humani iudicii. Vna ratio erat constantis syllogismi, quia nunquam falleret, & utilis esset: sed facile nimis illud erat: tenebrae Aristoteli placent: secundo loco sunt alia principia: *omni inesse, nulli inesse*: per quae omnes syllogismi vitiosi declarantur: vidit enim Aristoteles conclusiones incertas esse, quibus res universae: alias vera, alias falsa, propositione atque assumptione veris concluderetur: statuit igitur conclusionis comprobandae argumentum duobus illis principiis, *inesse omni, & inesse nulli*: neque haec chimaera satis fuit, nisi omnes eius crines gorgones, harpiaeque adhiberentur, & quamvis Aristoteli Pythagoras aliquando recte sensisse videatur, *virtutum certas, & finitas, vitiorum incertas, & infinitas esse vias*: tamen hic certum vitiorum numerum persequi libuit, & omnes omnium figurarum vitiosas formas recensere: quorsum hydras istas Aristoteles, in his hortis adhibuisti? an ut ab aureis malis iuvenes animos talium monstrorum insolentes abigeres? nonne satis erat ad probandum vitiosum modum, si aliquando falleret? rectum, si semper & verus, & utilis esset? at tua gloria est perturbare, miscere, bene oculatos caecos reddere: quamobrem tertiam chimae-ram prioribus addamus: quam si quis intelligat, ne protinus rideat: fortasse enim solus ridebit: nec alius quisquam intelliget, quid sit, quod rideat: ita res est Aristotelea, & tenebricosa ut Sibyllino aliquo interprete, & quidem percalido sit opus ad intelligendum: quam etsi non obscuris illis verbis proponam, tamen audiant nondum sacris istis devoti, an hic quicquam intelligere queant: quaesitum est in secunda figura, cum propositio, assumptione vel affirmaret, vel negaret, illa universae, haec singularis, an omni inesse, si argumentum minori alicui inesset, alicui non inesset: in tertia autem, si argumento minus extremum alicui insit, alicui non insit, cum propositio affirmaretur univ-erse, assumptio negaretur singulariter, an nulli inesse: vel cum utraque negaretur, propositio univ-erse, assumptio singulariter, an omni inesse maius extremum minori contingeret: o crudellem & immanem studiorum humanorum carnificem, qua de causa crux ista miserae iuventuti erigitur? quid peccavit? quid commeruit? an oportuit in omnibus formis inconstantibus perpetua exempla esse, in quibus maius extremum minori, & omni, & nulli inesset? non satis erat

erat in quibusdam posse deprehendi? Atqui in secunda, cum utraque vel affirmaret, vel negaret, universa propositio, singularis assumptio, exempla sunt, in quibus maius minori omni, & nulli inest: nulli, ut *album, olor, lapis: omni animal, ridens, homo: nulli, nigrum, nix, animal: omni, lapis, animal, homo:* atque item in tertia cum propositio universe affirmaretur, assumptio negaretur singulariter, exempla sunt, in quibus maius minori omni inest & nulli: omni, *animatum, homo, animali: nulli vero, animatum, lapis, animal:* item cum propositio est universa, assumptio singularis, utraque negata: nulli, *corvus, nix, album: omni vero animal, homo, lapis:* hoc Aristotelem lumen est: quis videt in hac nube volitantem Aristotelis animam? sed hic saepius offendo: gloria est Aristotelis omnia tenebris obscurare: nec margaritae fuerunt ante porcos abiiciendae: nec tanta mysteria in vulgus edenda: verum est. Theopompus historicus, quod coeperat nonnulla Hebraeorum sacra, Graeca oratione tractare, repente mente captus est. Theodotus tragicus ob eandem causam oculis privatus est: miserum me, vereor, ne mihi idem contingat: qui non modo ista propalam colloco, sed qui tam vehementer Aristoteleorum deum reprehendo: coelites focii Aristotelis, ignoscite. Quarto loco nova monstra sunt conversionum: quas hic Aristoteles collocavit: per quas non secus quam Circe socios Vlyssis veneficiorum poculis in varias animalium species: ita syllogismos ex una forma in aliam, a secunda, & tertia in primam, quinetiam a prima in secundam converteret: quasi sit ullus in tribus figuris syllogismus non clarior omni conversione: aut confingendum illud fuerit, cuius nullus futurus esset usus: quod a natura omnis sermonis, & orationis obhorreret: ut id quod erat naturale, quotidianum, usitatum confirmaretur: sed haec oblectamenta sunt Aristoteleorum: hi sunt Elysi campi, & *amoena vireta*

*Fortunatorum nemorum, sedesque beatae:* quibus utinam solus inventor fruatur, neminem decipiat: & certe solus cum suis fruitur: nullus enim sermo conversionibus illis utitur: ne ille quidem, tot portentorum pater: nisi cum haec somniando mussitat. Quinta regione post has horrendas feras circumstant ex variis monstrorum generibus compositae chimaerae ex permutatione pronunciatorum solutorum, necessariorum, contingentium. Sunt autem interpositae duae formae communes genus, vel Aristoteleorum confessione tortuosum, & inauditum: quanquam in secunda, & tertia figura nullam conclusionem novam faciunt: secundae enim primo, tertioque: tertiae autem secundae, sextoque modis continentur: ratiocinandi formae ex solutis, necessariis, contingentibus, & omnino ex omnibus enunciatis non permixtis, &

verbo (ut debent) modoque negatis eadem, perpetuaeque sunt: in permixtis autem, si quid esset varietatis, quoniam tamen omnia sunt inutilia, tollenda ex hac arte viderentur: at fraudis mendacique plena sunt omnia: primum illud ex necessario, & soluto necessarium sequi: qua lege asini rationales fient: sic enim ad Aristoteleorum praescriptum concludi potest,

*Omnis homo necessario est rationalis:*

*Quidvis currens homo est:*

foli enim currunt homines, ut Aristoteles in pari enunciati soluti exemplo sumit, *omne animal moveri.*

*Ergo omnia currentia necessario rationalia sunt.* Itaque Aristotelis iudicio si quando currant asini, necessario rationales erunt, in quorum numero vivere, morique maluerint Aristotelei, quam Aristotelis errorem confiteri: egregiam vero Philosophi laudem, artificium reperisse, quo fiant asini idem, quod homines: haec Dialecticorum documenta sunt, non incantamenta veneficorum? contingens in hoc numero est: idque in necessarium, & non necessarium ridicule distributum: quasi non esset antea declaratum satis in tribus illis enunciandi modis soluto, necessario, contingenti, aliud esse contingens, aliud esse necessarium: sed haec levissima faciamus: ex contingentibus in prima, & tertia concluditur contingens, in secunda nihil: quid ita? quia a mendaci principio profecta disputatio mendax esse, falsaque debuit: si diligenter attendisses enunciationes modo affectas, modo, verboque, non autem solo modo, negari, non ad hunc tantum lapidem tam foede, ac turpiter offendisses: atque haec in contingentibus levissima plaga est: quomodo autem perferetur, quod postea praecipitur, in eadem figura ex soluto & contingenti, vel ex necessario, & contingenti contingens concludi? nam si negatio concludatur (qualem hic homo praescribit) concludetur & affirmatio: hoc enim dixit esse contingens non necessarium: de quo dixit in posterum fore sermonem: hic mihi Prothea quendam videre videor, in omnes colorum species se mutantem: distinctio nobis quaedam percallida opponitur, non concludi contingens non necessarium,

*Quo teneam vultus mutantem Prothea nodo?*

Sequitur OVIDIVM, qui me sic admonet:

*Decipiat ne te versis tamen ille figuris,*

*Impediant geminas vincula firma manus.*

Immo se ipsum impedivit: pactus enim est, se de contingenti non necessario duntaxat dicturum: res vides, quo redeat: nihil inconstantiae crimen veretur: dat, repetit, & Prothea ipsum mutabilitate facile vincit. Tametsi enim,

*Ille suam faciem transformat, & alterat arte,*

*Mox domitus vinculis in sua membra redit.*

Redi igitur o Protheu ad pactum, redi quando te vinculis constrictum sentis: verum has spinas

persequi molestum est. Quamobrem ad alia transeamus: sed ex omnibus adhuc visis lernis, sexta, quae sequitur, omnium maxima, maximeque, si constanter aspicias, irridenda: caput unum est, de *inventione medii*. Iupiter bone, quam caecae, quam lubricae, quam praecipites tenebrae, quam misera superstitio Aristoteles hoc loco cruciat? quam est ipse Aristoteles suorum crudelis tortor? Inveniendi argumenti, quod *medium* vocat, doctrinam pollicetur, sed callidus, & vaser impostor, sic omnia demonstrationibus suis (sic enim vocat Aristoteles tenebras) obscuravit, ut cum ridiculae stultitiae, vel improbitatis maliciosae plena sint omnia, admirabile tamen quiddam & beatum miselli Aristotelei credant, in his sacris tenebris subesse: animadvertite igitur ô miseri Aristotelei, quatenus sunt haec tam occulta mysteria? animadvertite inquam, ut aliquando causam miseriae vestrae percipiatis: Primum est, ut universam affirmationem concludas, argumentum maius quaestionis extremum antecedit, consequatur minus: Secundum, ut universam negationem concludas, argumentum repugnet maiori, consequatur minus: vel maius consequatur, repugnet minori: Tertium, ut singularem affirmationem concludas, argumentum utrumque antecedit extremum: Quartum, ut singularem negationem concludas, argumentum repugnet maiori, antecedit minus: haec huius capituli praecepta sunt, quae quid aliud, quam ridiculam perissologiam, & inanis iterationis amentiam continent? nonne haec vestra oracula dispositionem (quae in figuris tradita est) hinc perturbatam rursus inculcant? cum enim modum primae figurae definis, nonne dicis argumentum debere maius extremum quaestionis antecedere, consequi minus? aliis verbis uteris, sed idem tamen significantibus: nunc vero cum me doces, quomodo sit argumentum inveniendum, hanc iterum regulam quasi lesbiam ad omnes parietes flexibilem apponis: ut requiram, quod antecedit maius, consequatur minus: quinam sunt hi loci argumentorum inveniendorum? dispositionem quandam praescribi video, quae figura est Aristotelea: admonitionem trahendi e quaestione argumenti non video: quae cum praestigiator ille fati agnosceret, per demonstrationes sibi cavet, & imposturae vitia tectoriis assumptis obduxit: quod ne Aristotelei quidem tamdiu dissimulare potuerunt. Interroga enim quempiam, quid hinc Aristoteles faciat: respondebit, ab eo construi pontem asinorum: quare? ut asinos hoc interiecto ponte & prophanos ab hac sacra scientia reiiciat: ô fabrum pontis asinarii? ficcine studiosae iuventuti illudere, publicis commodis imponere? liberalibus studiis insidiari? Asinorum pontem construit Aristoteles, fateor: sed mendacem causam praetextis: pontem enim hunc asinum vobis

fecit Aristoteles, quo vos ad tribulorum suorum pabulum invitaret: ubi cum vestri similibus hac asinina laetitia perfusi exultaretis, ruderetis, atque hanc asinariam vitam perpetuo degeretis: hic campus vester est: ista vestra est Arcadia: quid anguiculos hinc & inde compositos ad vexandum persequar, de *ostensivo* (ut loquuntur) & *impossibili syllogismo*, quasi aliae absurdi, aliae veri syllogismi sint artes? de *qualitate, quantitate numero problematum, propositionum, terminorum*, quasi haec omnia communibus legibus figurarum non contineantur, aut ob aliud nisi ad fatigandum, & impediendum interponantur: de *divisionis infirmo syllogismo*, qui certe firmissimus est, sed duos syllogismos habet, copulatum alterum, alterum disiunctum: quid inquam haec minutula persequar, cum molestum sit gravissima quaeque persequi? postremum est primi libri prodigium, *analysis syllogismi in propositiones, terminos* (ut schola loquitur) *quam thesis, anadiplosis exagitant*: sed conversiones omnium figurarum hinc nescio quo casu a principio cum infinitis pronunciationibus revolutae, tanquam haec nugamenta philosophastri prius exposita non meminissent: aut qui communes syllogismorum leges audivisset, haec quicquam desideraret, aut tot tricus, apinisque (si quid esset hinc utilitatis) onerari debuisset. Atque hinc paulisper securi respiremus, quia tot, tamque immanes feras, salvi, atque incolumes evasimus: quarum in principatu erant, principiorum illa tam fera genera, *dici de omni, & dici de nullo, inesse omni, & inesse nulli*: deinde eorum auxiliares sine nomine lernulae in secunda, tertiaque figura: postremo praestigiatrices, & veneficae conversiones, secundo ab his principiis gradu, concretae ex variis, & dissidentibus pronunciatorum naturis chimaerae, fallax inveniendi medii, & syllogismi retexendi nugatoria confusio: quae & si gravitate nocendi singulae superioribus sunt inferiores, assequuntur tamen facile numero, & multitudine malorum vim parem, atque eandem: hi sunt dracones, hae belluae, quae hortos syllogismorum custodiunt: a quibus utinam dilaniati essent sophistae, aut ab his illae potius, ut una cum miseris ingeniis, tot prodigia perirent. Haecenus difficilia, molesta, gravia fuerunt omnia: quae deinde proximo libro traduntur, quanquam in iisdem vigiliis excubant, tamen in illa ipsa fraude delectationis habent plurimum, ut latrocinia credas superiorum esse, quia tantis tenebris latronum more cogant, & impellant miseros, qui illuc veniunt, quicquid habent, non argenti dico (illud enim magis esset tolerandum) sed iudicii dimittere: atque ita nudos, omni mente spoliatos abire: hinc vero quanquam eadem ratio teneatur, tamen paulo facilius agitur. Incantantur praetereuntes, & illecebris in fraudem similem deducuntur: cre-

crederes in theatrum iucundissimum te venisse: ita spectacula variorum actuum ad exhilarandum animum aptissima proponuntur: est *Protasis* primo ex multiplici varietate conclusionum gratissima: *Epitasis* ex perturbatione petiti principii, ex inopinata causa erroris, ex fallacia contrariae opinionis: tandem *Catastrophe* prodit ex argumentationis formis inductione, exemplo, enthymemate: quae si diligentem actorem nacta fuerint, omnes antiquitatis omnium generum fabulas facile superabunt: imo vero iam nacta sunt & tibicinem, & actores & saltatorem: nunquam Bacchi orgia, vel Apollinis hyporchemata iucundiora spectantibus fuerunt: sedeamus igitur, & spectemus: iam enim (ut videre videor)

*Pars pedibus plaudunt, choreas, & carmina dicunt:*

*Nec non Treiicius magna cum veste sacerdos*

*Oblquitur numeris septem discrimina vocum.*

*Iamque eadem digitis, iam pectine pulsas eburno.*

Canit enim ipse sacerdos Aristoteles (cordacem credo, Analyticam citharam digitis pulsans: Aristoteleorum principes habitu insolenti, atque incondito deformes, hiantes, & vasto ore quasi spectatores devoraturi sint, res non agunt, sed vociferantur: discipuli vero confusi ad rythmum Aristotelicum incedentes saltant, & varias rerum species figurant, modo falsis rebus proponendis, velut in aquas tenues lapsi demerguntur, ac repente emergunt: modo novis rebus assumendis, quasi subinde novis aucti ventis volantes aves effingunt: modo circulandis syllogismi membris orbiculatos syderum cursus, ac recursus imitantur, modo celeriter invertendis quae recta fuerant, ignis celeritatem exprimunt: modo cogendis adversariis, premendisque, aut leonis immanitatem, aut pardalis impetum referunt: caeterasque canticorum omnium formas paribus saltationum formis assequuntur. Empusae quaedam saltatrices, ad augendam spectaculi voluptatem petunt principia statim, ac non statim: nec interea videntur: velut umbrae tenues ad arborum motum dilatantur, contrahunturque: obiciunt falsas erroris, atque opinionis causas, prodeunt ex una persona magno quodam miraculo dissimiles personae inductio, enthymema, exemplum, deductio, instantia, quae mirabiliter spectatores afficiunt: quid est? an ridiculum sermonem, nec satis in hac disputatione liberalem induxi? non Aristoteles vobis irridendam, & exhibendam cacotechniam praebuit? quaerit Aristoteles in ea re Dialecticam, statuitque, ubi ne somnia quidem locum habere possunt: nullum enim somnium tam est abhorrens a veritate, tam commentitium, quin aliquam rerum sensu perceptarum speciem retineat: at circulator ille, & sibi ipsi repugnans syllogismus, ex cuius disputationis natura deductus, & observatus est?

*Omnis sophista est veterator:*

*Omnis impostor est sophista:*

*Omnis igitur impostor est veterator: &*

*Omnis veterator est sophista:*

*Omnis impostor est veterator:*

*Omnis igitur impostor est sophista: &*

*Omnis impostor est veterator:*

*Omnis sophista est impostor:*

*Omnis igitur sophista est veterator.*

Quis vesanus, quis puer, quae anus, quis aegrotus ineptias tales unquam somniavit? deinde,

*Omnis sophista est impostor:*

*Nullus sophista est impostor:*

*Ergo nullus impostor est impostor.*

O populares, ferte opem, obsecro, circumvenior: nullus impostor, ut sit impostor, Aristotelei efficiunt: metuo Iupiter bone, ne similiter in alia omnia grassentur, & nullum hominem esse hominem, nullum deum denique esse deum: quod tot cumulatis montibus gigantes efficere non potuerunt, syllogismorum suorum potestate efficiant: Iupiter, emitte fulmen de coelo, abige maleficos homines ad inferos: ne mundum maleficiis istis, teque ipsum contaminent: caetera cur abiiciam si me roges, nihil severe, & pro meo iure respondebo: sed idem tamen quod tu servo tuo, cum eum domo eiceret: si quid enim quaereretur, diceret, abi in malam crucem nebulo, quando nihil unquam profuisti familiae meae, sed obsuisti saepe plurimum: ita respondebo Dialecticis studiis vanitates istas nihil unquam profuisse, sed saepe nocuisse plurimum: nam si a falsis principiis progredior, nihil efficio: si conclusionem converto, nihil proficio: quia harum ineptiarum nullus usus est: fallor autem aliquando, ut si converterem, omnis orator necessario est homo, ergo aliquis homo necessario est orator: & si non errarem, nunquam tamen rem propositam conversione concluderem: si sumo sub medio, vel sub minore extremo, non concludo quaestionem: si ex contradictione conclusionis, & altera pronuntiatione alterius contradictionem concludo, nihil clarius adfero: syllogismus enim facio, cui, si peritus erit artis, quo cum disputo, assentietur: si ignarus, non potius huic, quam illi assensum dabit: ita iuventus in artibus istis operam (ut aiunt) oleumque perdet: syllogismus ad impossibile, nihil novae admonitionis exigit, communibus syllogismi legibus est contentus: quare nihil habet vestrae fabulae protasis apud non insipientes emptores vendibile: miseris, stultis, amentibus esse cupientibus, si quos nacti eritis, istam vanitatem probate, & quanti poteritis, vendite: quid epitasis? an quicquam melius, optatius, utilius continet? media probabile est extremis esse similia: talis est (ais) qualis esse debuit: certe quoniam Epitaseos in fabula proprium est turbare

bare omnia. Itaque quinque capita de petitione principii statim, non statui de nugatoriis vitiis ratiocinationis, de puerilibus terminorum conversionibus quid ostendunt? hem quid ostendunt, quid inquam haec ostendunt? non respondetis? at iuvabo vos, & quod non potestis, aut non vultis Aristotelei, exprimam: petitio principii tam vehementer a vobis accusata, nonne significat maximum in omni oratione vitium esse obscuritatem? imo vero etiam vitium dicit, si non clarissima sit explicatio, maximeque perspicua: ergo damnat Aristoteles obscuritatem: ergo volunt Aristotelei esse faciles, & aperti: ergo Dialecticam (quae mater est omnis probationis, ac fidei) nolunt esse obscuram, & involutam: ô sophistas mendaces, nec satis vestri memores: defenditis Aristotelem de industria obscurum, & difficilem esse, & tamen hic ille ipse magister publica lege cavet, *ne quis obscure doceto, secus capital esto*: ô praeclarum legislatorem, tu aliis recte agendi necessitatem imponis, tibi ipsi permittis tam immoderatam peccandi licentiam? ô libidinem non ferendam, alios in amentia gloriari, alios ne conqueri quidem audere: reprehendor a te Aristoteles, si obscurus sim: tui te prudentem, scientemque aiunt, in obscuritate versari: hanc tantam, tamque inauditam tyrannidem, si in iudicium veritatis appello, flagitiosus, sceleratus, audax, impius appellor: at *Catastrophen* videamus, conciliabit fortasse turbas omnes, & ad optandum aliquem exitum deducet: quid igitur? quemadmodum ex eodem luto figuli varia vasa, sic ex eodem fracto, dissipatoque syllogismo dissimiles argumentationis species efficit inductionem, enthymema, exemplum: enthymema truncum syllogismum confitetur, hoc quia concedit, accipio: inductio & exemplum syllogismi non sunt: huic mendacio resisto: quid est hic artis novae Aristoteles? Cur *inductio*, & *exemplum* non sunt etiam enthymemata, id est, ut ais, *imperfecti syllogismi*, ut addita propositione, vel assumptione, quae deest, perfecti syllogismi fiant? sit enim inductio,

*Omnis homo, omnisque bellua sentit:*

*Omne igitur animal sentit.*

Sic enim instituis inductionem: adde igitur assumptionem magister, syllogismum facies hoc modo,

*Omnis homo, omnisque bellua sentit:*

*Omne animal, homo est, belluave:*

*Omne igitur animal sentit.*

Nonne hic assumptione addita syllogismus plenus factus est? & ita semper fiet, quoties ex enumeratione partium totum probabitur: neque vero hoc tam ignorabas, quam malitiose celabas, & occultabas: ridiculum vero syllogismi, & inductionis discrimen est ab Aristotele inventum, ut ille quidem per medium extremum de tertio ostendat, haec autem per tertium extre-

num de medio: quasi medium, id est, argumentum ex partibus, sicut ex toto esse non possit: distinctiones hic paratae sunt, id est (sicut dictum est) elusiones, & abusiones: doctorem hic volo, non impostorem: de exemplo autem res eadem est, nisi forte multo stultius credas ex argumento nudo argumentationis speciem constitui, syllogismum enim facit Aristoteles, cuius pars una probatur singulari specie, quam *exemplum* vocat: eamque probationem speciem novam argumenti disponendi (hoc enim est argumentatio) facit, ut ex eius verbis intelliges:

*Pugna contra finitimos perniciofa est,*

*Vt Thebanis accidit contra Phocenses:*

*Atheniensium autem pugna contra Thebanos, est contra finitimos:*

*Est igitur perniciofa.*

Hic syllogismus plenus est, cuius propositio probatur exemplo: ita non argumentationem Aristoteles, sed argumentum ostendit: solet etiam exemplum paulo secus institui sic,

*Quemadmodum Alexander, ita Caesar animo generoso fuit:*

Quod ad syllogismi relati partes ita conferetur, *Alexander animo generoso fuit:*

*Talis autem Caesar, qualis Alexander:*

*Generoso itaque Caesar animo fuit.*

Quid est igitur Aristoteles in inductione, enthymemate, exemplo a te traditis novae dispositionis? quae nova est argumentatio non syllogismi dispositione comprehensa? quid est in deductione? in instantia, physiognomia, quam huc derivas, nisi ad illam tuam nimis quidem tibi gratam perturbandi, obscurandique voluptatem? an in hoc amentiae theatrum, non satis erat unum te somniantem, delirantemque venisse, nisi descriptis egregiis istis larvis, similibus visis tot seculis posteritas illuderetur? non poterat facile, breviterque dici syllogismum in sermone hominum, non semper esse perfectum: & si quid deesset, id addendum esse, quoniam esset unica lex argumenti disponendi, nisi vanis figmentis omnia turbarentur? ô fallacia spectacula, ô captiosas irrisiones: quid assequitur puer ô fabulator Aristoteles, sic enim te tam inauditae fabulae parentem appellare possum: quem ad finem discit ex uno syllogismo tot modos, totque species effingere? quis Poëta, quis Orator, quis scriptor historiae, quis Philosophus multiplicibus illis conclusionibus sumptionum, conversionum, falsorum, circulatorum, oppositorum utitur? denique tu ipse quando, quo loco, contra quem tuis istis inventis usus es? ut intelligamus nos a te non deludi? non derideri? si histrionem aliquem in publicis theatris spectarem, semihorula delectato animo, promptior, & alacrior ad honesta studia redirem: at tu histrioniam novam facis: tua ista spectacula, qui ingrediuntur sacris tuis prius initiati, tanquam Galli Cybeles Enthei, aut Bacchi

Mae-



Maenades, e potestate mentis exeunt, & protinus e quietis, & moderatis saltricularae quaedam Dionysiae, magistri videlicet perfimiles efficiuntur: & protinus furore Aristoteleo correpti saltatorium orbem saltare incipiunt: ex iisdem tenebris ortae sunt postea duae aliae quae putantur, argumentationis species, *dilemma*, & *sorites*: *dilemma* propositionem habet compositam, cui assumptio, & conclusio addendae sunt, ut syllogismus absolvatur: quale est illud Protagorae adversus Euathlum, pro dimidio promissae mercedis precio litigantis, quod persolurus erat Euathlus, cum primum causam aliquam egisset, obtinuissetque: itaque cum spe fallendi praeceptoris ad forum tardius accederet, sic est eum Protagoras aggressus: *disce* (inquit) *Euathle adolescens, utroque id fore modo uti reddas, quod peto, sive contra te pronunciatum erit, sive pro te: nam si contra te lis data erit, merces mihi ex sententia debebitur, quia ego vicerō: sin vero secundum te iudicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris: ad ea respondit Euathlus, potui* (inquit) *huic tuae tam ancipiti captioni iisse obviam, si verba non ipse facerem, sed alio patrono uterer: sed mihi in ista victoria pro ludium est, cum te non in causa tantum, sed in argumento quoque isto vinco: disce igitur tu quoque magister sapientissime, utroque modo fieri uti non reddam, quod petis, sive contra me pronunciatum fuerit, sive pro me: nam si iudices pro mea causa senserint, nihil tibi ex sententia debebitur, quia ego vicerō: sin contra me pronunciaverint, nihil tibi ex pacto debebo, quia ego non vicerō: haec GELLIVS: quaestio igitur nuda statuatur hoc modo, an quicquid pronunciaverint iudices, debeat Euathlus: syllogismi ex propositis duo ita perficientur: primus qui est Protagorae, hoc modo:*

*Si pronunciatum erit contra te, debebis ex sententia: sin secundum te, ex pacto:*

*Sed quicquid pronunciatum erit, aut pro te, aut contra te erit:*

*Debebis igitur, quicquid pronunciatum erit.*

Secundus qui est Euathli, hoc modo:

*Si iudices senserint pro me, nihil ex sententia: sin contra, nihil ex pacto debebo.*

*At pro me, vel contra me erit, quicquid pronunciatum fuerit,*

*Nihil igitur debebo, quicquid pronunciatum fuerit.*

Ita vides dilemma propositionem esse compositam syllogismi connexi, cuius vis intelligitur planius assumptione, & conclusione additis: sed captiuncula est interposita, quae pacti voluntate, & aequitate, non verbis distinguenda est, & interpretanda.

*Sorites* syllogismus fere plenus est, sed assumptio saepe praepositur, & pronunciationes variae interiectae commiscuntur: ita in unum *Soritem* multi saepe sunt inclusi syllogismi: atque

hoc genus, ideo lubricum est, & periculosum, quia in hac gradationis continuatione non satis cohaerentia interdum copulantur: dum enim minutatim & gradatim aliquid additur, & paulatim, congestis granis acervus efficitur, captiosissima tela textitur ad illaqueandum simplices, & imperitos irretiendum: sed facile retexetur, si ad syllogismi leges membratim referatur, quemadmodum *LVCVLLVS* apud Ciceronem *Soritem Academicum* perpendit: quem primum hoc modo proponit: *sic enim* (ait) *ascenditis? si tale visum obiectum a deo dormienti, ut probabile sit, cur non etiam ut valde verisimile? cur non demum, ut difficulter a vero internoscatur? deinde ut ne internoscatur quidem? postremo, ut nihil inter hoc, & illud intersit?* deinde ita retexit, resolvitque, *huc si perveneris, me tibi primum quodque concedente, meum vitium fuerit: sin ipse tua sponte processeris, tuum: quis enim tibi dederit, aut omnia deum posse, aut ita facturum esse, si possit? quomodo autem sumis, ut si quid, cui simile esse possit, sequatur, etiam ut difficulter internosci possit? deinde ut ne vix nosci quidem? postremo ut eadem sint? ut si lupi canibus similes, eosdem dices ad extremum.* Itaque omnia haec ratiocinandi (quae videbantur esse) genera, inductio, exemplum, Enthymema, Dilemma, Sorites, & si quae alia numerari placeat, a syllogismo distracta sunt: atque ideo ut perfectam iudicii cognitionem adferant, ad corpus ipsum (cuius sunt membra) referantur. Sed graviora restant, & periculosiora: abeamus igitur, & discedamus ab hoc histrionico Aristotelis theatro, & ad reliquas iudicii larvas transeamus: Analytici libri duo postremi sunt, qui *Demonstrationum* nuncupantur, hinc adyta sacrae religionis, hinc admirabiles Aristoteleae Dialecticae fontes, hinc tanti dei, & tot seculis tam sancte, tamque religiose culti omnis honor, tota divinitas posita est, totum numen: quamobrem ad hanc sapientiam vota solemnia faciamus: agite cereus accendatur, limina sacra pandantur: dii, deaeque omnes, quatenus sunt his in sacris numina? videre videor varios diversorum generum daemones ex animis sophistarum concretos, variis suppliciis, & miseriis cruciantes eos, quos ad se fraudibus, atque infidiis pellexerint: pollicentur enim his initio omnium rerum constantium, & universarum demonstrationem ac scientiam, ex aeternis, universis, propriis ipsarum causis: hinc non iam amplius *Dialectica* haec ars, sed sacratiore quodam, & augustiore nomine *Logica* vocatur: perfectam, & consummatam scientiam ex principiis omnibus Aristotelei promittunt, sed publicos istos humani generis hostes aggrediamur, & ab his miseram iuventutem raptari diutius non feramus: quid est igitur *demonstratio*? novane syllogismi species? novam mihi videris significare: verum si syllogismus est argumenti certa,

firmaque dispositio, nova certe syllogismi species novam argumenti dispositionem ostendet, ut haec dispositio, quae tibi *demonstratio* est,

*Quidvis particeps rationis, ridere potest:*

*Omnis homo particeps est rationis:*

*Omnis igitur homo ridere potest:*

Huic dispositionem simillimam habet,

*Omnis asinus rudere potest:*

*Omnis sophista est asinus:*

*Omnis igitur sophista rudere potest.*

Nec tamen ut prior illa, sic posterior haec demonstratio tuo iudicio fuerit: video quid mihi respondeatur, non ab argumenti dispositione, sed ab argumento *demonstrationem* novum syllogismum dici: ergo a causa, ab effectu, a subiecto, ab adiuncto, a dissentaneo, a caeteris argumentis syllogismus appelletur, sintque syllogismorum species, & argumentorum prorsus eadem, quandoquidem argumentorum naturae, generaque distincta sunt: ut si syllogismi species ab argumentorum varietate nominentur, tot sunt species syllogismi, quot argumenti: at inventio, iudiciumque res longe diversae sunt: inventio praestat argumentum, id est, animam quaestioni caduco corpori: iudicium argumentum cum quaestione, id est, animam cum corpore coniungit, & continet. Perpendendae sunt igitur syllogismi species ex conjunctionis, & collocationis varietate: quod quando non facis, vide ut Areopagitae reos in manifestis criminibus rogare solebant: qua te, tuosque poena dignos iudices: nihil adhuc hinc constituam: at (dicit Aristoteles aliquis) & si demonstratio species syllogismi non esset, non esset tamen eius ipsius non laudanda doctrina, quae tam magnas, tamque expetendas utilitates habet: has igitur spectemus, & quidem si libet a capite: *Demonstratio* (ait Aristoteles) *est syllogismus faciens scire, ut scire, & per demonstrationem intelligere prorsus idem sit: o sapienciam incredibilem: Demonstratio ergo est scientiarum omnium mater: cuiusnam scientiae, Grammaticae ne? hinc ab Aristoteleis irrideri me video: Rhetoricae ne? hinc item istis hominibus ridicula interrogatio mea est: Dialecticae ne? hinc quoque contemnimur: ubi igitur? video quendam iratum, atque indignatum circulos, & semicirculos ex alphabeti literis in terra scribentem, Geometriam videtur significare: vah quam parum prudens, & inconsideratus sum, non intelligebam Demonstrationem matrem Geometriae solius, quia ea sola est scientia, caeterae autem artes non sunt scientiae: quia illa sola disciplina demonstrationibus constat, non autem caeterae. Itane, Aristoteles, sola Geometria disciplina est? quid si in tota Geometria nulla demonstratio sit ad tuam legem, ideoque ne disciplina quidem Geometria sit? an irasci, & indignari usque quaque licebit? recita igitur primam EUCLIDIS propositionem,*

*Super data recta linea triangulum aequilaterum constituere.*

Quaenam hinc sunt demonstrationes? nullae: thema enim prima, & secunda petitione aedificatur: definitione circuli, & prima dignitate confirmatur: ubi syllogismus nullus est, non modo nulla demonstratio: hinc mihi commoveri videtur Aristoteles, pallet, rubet, quidlibet faciat dummodo Aristotelem retineat: excandesceat, nisi me alio conferam: at iam clamando insequitur, & magnam nobis distinctionem opponit: *distinguo* (ait) *actu, vel potestate*: bene per Iovem, & diserte respondes, nec melius poteris: appellatur igitur tot iam seculis Geometria scientia, non quia nunc sit, aut aliquando fuerit: nunquam enim demonstrationes ad Aristotelis normam compositas habuit, sed quia possit, si tamen velint Aristotelei, esse: bono animo estote homines: Aristoteles spem nobis per demonstrationum artes attulit: etsi nulla spes sit de caeteris, Geometriam tamen aliquando posse fieri scientiam: at hac potentia iamdiu Aristotelei nimis intemperanter abutuntur: praedicamenta, quae revera nulla sunt, Aristoteleorum potentia sunt perfectissima: Geometria nunquam fuit, nec est ad eorum legem scientia, quia non constat demonstrationibus: at earundem potentia scientia est absolutissima: itaque fortasse cum descendat ad inferos, obtinebunt ista potentia simul in caelis primum, summumque locum: utinam quoniam nihil est, quod non possint, fecissent Aristotelei, ut nihil in eorum doctrina non rectum, non utile, non populare esset, & illustre: fistulaque assumpta ut Musicos decet nobiles, egregium carmen aliquod ad Rythmum, numerumque doctrinae suae cantarent: exemplo vivo discipulos suos incitarent: non eiusmodi mortuis umbris debilitarent: verum satis est, quod nunc possint: agent aliquid alias: o falsam, & sophisticam demonstrationis gloriam, demonstratio tot annos cum adulteris omnium bonarum disciplinarum sophistis libidinose versatur, necdum tamen ullam scientiam peperit, sed abortis suis omnes contaminavit: appelletur igitur meretrix, non mater: nulla enim est fere disciplina, ubi insana ista demonstrandi, id est, obscurandi (sic *ἐσθρανεύς* Aristotelei loquuntur) cupiditas non graves tenebras offuderit: sic Dialecticae pars optima, quae iudicii est, sic naturalis Philosophia contaminata est: quae si definitionibus, divisionibus, exemplis facilibus detracta omni demonstrationum vanitate proponerentur, ut res habent paucas, & faciles, & naturae lumine perspicuas, ita facile, & perspicue cognoscerentur: at quaenam sunt ea principia, quibus demonstratio fulcitur? fulcitur, inquam: somniavit enim Aristoteles in demonstrationibus principia, quibus scientiae non aliter quam pontes Parisiensium molitorum, & aurificum ex tignis, &

& trabibus exaedificarentur: quae cum aliquando cum Aristoteleo quodam admirarer, & in artibus eiusmodi principia esse negarem, acri convitio verberatus sum, quia nimis curiosus viderer, nec Aristotelis numini satis pie crederem: at tam gratus, tam popularis, tam iucundus veritatis amor semel animo receptus dissimulationem nullam patitur, libertatem requirit: ubi sunt igitur ista principia scientiarum? erro: ubi sunt principia scientiae? quia una sola Geometria est, de cuius scientia non sit desperandum: *definitiones* (credo) *petitiones*, *dignitates* principia illa sunt: & principia certe sunt, & solida principia: at si melius essent ea disposita, an Geometria scientia esse desineret? si Geometria definiretur, partes ordine enumerarentur, partium coniungerentur affectiones, & proprietates, non vobis facilius Geometria videretur? quod quamquam magnum, & grave est, non despero tamen, sicut iam multa alia peperit, quin hoc quoque aetas nostra tot ingeniis, tamque excellentibus beata pariat: principia qualia somniatis Aristotelei, extra artes ipsas posita nulla sunt, sed omnes bene constitutae artes perpetuis coniunctisque (quemadmodum secundum iudicium Dialecticum ostendit) definitionibus, divisionibus, exemplis tanquam membris cohaerentibus corpora componuntur: principia igitur artium definitiones, divisiones sunt, aut certe quaedam ex definitionibus, divisionibusque deducta, praeterea nulla: neque ea cumulari in principio operis, sed suo quaeque loco, ut in corpore membra, collocanda sunt: quemadmodum iudicii secundi doctrina demonstrat: at nimium versamur in principiis, cum reliquae sint exaedificationes insanae: ex qua enim sunt amentia demonstrationis partes eductae, *propter quid* (ut loquuntur homines hi) *& quia est*: primae, & secundae, & tertiae figurae, universalis, particularis, affirmativa, negativa, ostensiva, ducens ad impossibile, ex omni causa, ex conversis, ex circulatis, cum horum pars omnino media demonstrationi definitae convenire nullo modo possit? distinguo dicis, *propria*, *magis propria*, *maxime propria*: delira dicere debebas, magis delira, maxime delira: proponis te dicturum de syllogismo, rem per causas demonstrante, cui cum falsas species attribuis, admonitus, non te emendabis? sed distinctionum tuarum commentis nos irridebis? quid est tam manifeste falsum, tam alienum ab omni sensu & veritate, quod a stolidis ingeniis ista distinctionum vanitate defendi non possit? hic Aristoteleorum regnum est: quicquid libido tulerit, id protinus per aliquam distinctionem nobis imperatur, cuius ratio alia nulla est, nisi quod aliter si diceretur, erraret Aristoteles, quod impium sit vel somniantibus in mentem venisse: adiuncta vero caetera quae sunt? dii boni, quantam caliginem, & quam propinquam

inferis crucem miseris studiis adferunt? quaestio una, an nullius, an omnis rei sit demonstratio? at vane nugator, dicis prius demonstrationem in solis rebus universis, & aeternis esse, id est, affirmas solem interdum solum nobis lucere: deinde quaeris an omni tempore, an nullo luceat? quid est, repuerascere, nisi hoc est? nova vocabula finguntur *per se*, *de omni*: usitata deseruntur: quamobrem? an non ut turbandi illud studium Aristotelis proprium conservetur? quinque autem capita sunt (media enim mihi sunt amputanda, ut aliquando ad extrema veniam) quinque inquam, capita sunt, in magna, & difficili quaestione: o doctores, interpretes, magistri, praeceptores, iuvenes, senes, audite ubicunque estis, ad altissimas Aristoteleae sapientiae quaestiones, & inenodabiles difficultates concurrite: hic thesauri latent, & incredibiles illius admirabilis ingenii dotes: tubis, & signis omnibus, omnes populos admonete, ut huc properent, ne tamdiu caeci sint, & tantis Aristotelis opibus careant: atque iam ad audiendum multo ante tempore video ingentem multitudinem convenisse: excitetur igitur praeco, pronunciet Aristotelis quaestionem: quaenam igitur est? audite populi, & silentio facto audientiam Philosopho facite, *an sursum, deorsumve constitutis extremis, fiat in infinitum abitio*? hic video omnes Aristoteleos attonitos stupere, nec satis intelligere, quid dicatur: dicat igitur praeco facilius: rursus attendite populi, *an in baculo duobus extremis, & finibus terminato*, qualis hic est,



*extremum sit, aut finis aliquis*? Id enim est, *esse viam mediam infinitam, & sine fine*: quid ridetis? Aristoteles rogat, an in eo baculo, cuius sunt duo fines, sit aliquis finis: unde iste cachinnus irridendum? Aristoteles inquam rogat, an possit humana mens rem tantam capere, ut intelligat terminatae duobus terminis viae aliquem esse terminum: quid in concione multitudinis ad hanc quaestionem convocatae existimatur futurum? nonne alii hominis illius prudentiam requirent, alii fatuitatem irridebunt, alii damnabunt impudentiam, alii se irrideri moleste ferent, alii impostorem publicum nominabunt, alii coercendum esse iudicabunt? qui tot seculis vanitatibus his bonam iuventutem corrumpat, & aetatis ad omnes ingenuas artes percipiendas aptissimae tempora tam nequiter, & captiose traducat? o Romani veteres, o Messala, o Crasse, expulistis aliquando vestra civitate Philosophos, quia desidia iuventutem corrumperent, quid huic non desidiae auctori, sed amentiae praeceptorum, non novae disciplinae inventori, sed inaudita delirationis venditori faciendum sentiatis? utinam (quod

vos approbaturus arbitror) baculus iste, de cuius extremo circumforaneus hic circulator in publicis studiis iam aliquot annorum millia quaestionem hanc magnificam iactitat, ferreus fiat, & Aristoteleis omnibus maxillas perfringat: & caedendo tuber illis totum caput efficiat: sophistae miseri, nunquam ne in animum inducitis, artes omnes utilitatis alicuius gratia esse inventas? quae nihil habent commoditatis, artes non esse, sed artium pestes? & Dialecticam non Aristotelis autoritate, sed naturae veritate contineri? a qua cum sit tam alienus Aristoteles, cur dubitatis naturam homini praeferre, vos ipsos plusquam Aristotelem amare, lumen tenebris, virtutum vitiis antepone? Cuius est delirationis tota illa disceptatio de *definitione*, & *demonstratione*? in quibus si res nuda, simplicesque remotis verbis spectentur, eadem prorsus sint futurae: utraque enim rei propositae ex causis est declaratio, ut idem sit *demonstrare rem*, & *definire*. Cum itaque rogas, an Socrates homo sit, demonstrabo, & definiam si dicam animal esse rationale, ideoque hominem: & antea docui non plus demonstrationi syllogismum, quam definitioni posse tribui: similis est de *investigatione definitionis in praedicatis* (ut aiunt) ratio: non enim ex praedicatis illis, sed ex fontibus inventionis haurienda est definitio: haec enim facilius, promptius, expeditius est via, caeteraque duobus his libris comprehensa (nihil enim omnino est, quo Dialectica non facillime & utilissime possit carere) nullum alium in usum somniata nisi ad hebetationem discipulorum, & mentis alienationem: unum video in toto *Analyticorum librorum opere* vitium quidem maximum, sed tamen ita acceptum, ut maximae laudi tribuatur: exemplis Poëtarum, Oratorum, & excellentium scriptorum nullis, nec suis omnino ullis Aristoteles utitur: quibus tamen uti debuerat, ut ostenderet artem suam ab observatione naturae profectam esse: sed literarum exemplis utitur perpetuis, in quo Geometras imitari se Aristotelei gloriantur: atque hac ratione censent certissimam doctrinam se tradidisse, quod Geometrarum more literis utantur: stulta & ridicula imitatio: Geometrae quia res tradebant a populari sermonis usu remotas, & ideo nullis appellationibus definitas, coacti sunt, & necessitate impulsu literis ad arbitrium, conditionemque materiae praesentis abuti: & quicquid informarent, una, duabus, pluribusve literis nominare: ut sit punctum, A: sit linea: A. B. &c. atque ut fortasse mentem a sensibus avocarent, libenter eam necessitatem sunt amplexati, res enim pingunt aliter, quam intelligi velint, & ab omni materia lineamenta iubent abstrahi, quae tamen crassis, & concretis figuris repraesentant: quod assequi se commodius putant, si menti subiiciant eas voces, quas libere sibi pro sua cogitatione mens ipsa componat: at

in Dialecticae veris praeceptis quae necessitas fuit, cum tota haec ars nihil habeat non ad communem, & quotidianum sermonem formandum, & instituendum? & tota de medio sumpta sit, ut nihil in ea dici, tradive debeat, cuius in sermonibus naturalibus impressa quaedam non sit imago: verum semper hic erro. Aristoteles tenebras amavit, quas accuso: lucem odit, quam desidero: aut fortassis (ut erat subtilis & acutus) posteritati consuluit: divinavit enim multos haec scripta admiraturos, qui duntaxat aliter literas didicissent: itaque in eorum gratiam literarum exemplis forsitan usus est. His tantis malis adiecere Stoici fallacem syllogismi speciem tertiam, & septimam, quos in *Topicis* CICERO secutus est: dispositio enim illa constans, & perpetua non est: ut si dicam de viro optimo, ut Socrate,

*Non si homo est Socrates, malus non est:*

*Sed homo est: ergo malus est. &*

*Non & equus homo est, & lapis,*

*Sed non est homo, ergo lapis.*

Propositio vera est, assumptio vera, falsa conclusio: scio quid hic dici soleat, propositionem ex repugnantibus rebus fieri oportere: argumenti ergo natura firma erit conclusio, non argumentationis, & dispositionis, quod opus erat: addidit BOETIUS, Aristotelis discipulos Theophrastum, atque Eudemum secutus, triginta duos concludendi modos in duabus figuris, ex propositionibus *inaequimodis* (ut vocat) veros quidem, sed a naturae sensu, iudicioque alienissimos, atque ideo prorsus explendos: observatus enim ob id est syllogismus, quia perspicua esset, & naturalis aestimationis regula, quae non solum facillime perciperetur, sed protinus intellecta probaretur: sed Stoicos, & Boëtium missos faciamus, patefactam enim ab Aristotele tot erroribus viam secuti sunt, nec illis falsa tradentibus sua sponte quisquam crediturus. Haecenus de *primo iudicio*: de secundo autem in Aristoteleis *Dialecticis* ne litera quidem tradita est, nullam (ut arbitror) ob causam aliam, quam ne tenebrae, ne errores, ne vanitates tam multis locis condensatae perspicerentur: si enim semel via illa rem universam definiendi, dividendi in partes, exemplis demonstrandi patefacta fuisset, repente oracula ipsa Aristoteleorum, totaque Aristotelis divinitas periisset: ignorasse vero Aristotelem credibile non est, qui tot annos Platonem audierit: quique in eiusdem monumentis tot locis legerit, partem illam Dialecticae unice laudatam, atque commendatam: immo vero quod Aristoteles omnibus libris, iis tamen exceptis, in quibus solis debuit, de *Natura*, & *Moribus* notatum reliquerit. Primo & secundo de *moribus* de ratione illa, viaque docendi quaerit: in primo *Physicorum*, in libris de *Anima*: quin etiam libellum hac de re inter libros de *animalibus* conscriptum reliquit, ubi pla-

planissime qualis in Platonem, veteresque fuerit Aristoteles, & quae causa fuerit huius partis omissae, cognosci potest: ait enim illic de via illa docendi nihil apud veteres certum, exploratumque fuisse: quid hic de Aristotele sentiam? Prometheus duobus ante natum Aristotelem millibus annorum, viam illam secundi iudicii (ut ait Plato) viderat: Zeno docuerat, Hippocrates exercuerat, Plato ipse confirmaverat: & Aristoteles ait, certi nihil se a veteribus habere: quid (inquam) vis de hoc homine dicam? Alexander Aristotelis discipulus negabat, ut soles, ita reges in mundo duos esse posse: quid magister? omnium veterum Philosophorum gloriam iniquissimo, atque iniustissimo cupiditatis genere persequitur, ut principatum solus obtineat. Platonem, Aristoteles, viginti annos audieras: libros eius legeras: & non modo malitiosissime dissimulas, per quem profeceris, sed ingratis negas: hic ego longe aliter quam tu, tamen si calamitatem quam invexit maximam, omni diligentia demonstro, attamen si erit, cui meus labor minus placebit, huic non solum ignoscam, si nostris refutandis meliora, & hominum vitae commodiora tradiderit: sed maximas ei gratias agam: omnes enim in eadem navi homines sumus, natura nempe rationis particeps: gubernaculum rationis, quod fregeras, forti animo regendum suscepi: si non rectum clavum teneo, si periclitor, si in scopulos, & fyrtes incido, exclamet, admoneat, reprehendat: non ego illum, qui mihi, vectoribusque meis tam sapienti, tamque salutari voce subvenit, merito complectar, & semper amem? gloriosum est bene de hominum genere mereri: vitia libere reprehendere, pestes publicas tollere: monstris mundum liberare: sed tui te hoc uno defendunt, quo saepius accuso: dicunt de industria rudes & hebetes abs te fugatos esse, nec via te plana progredi voluisse, ne inbecilles & infirmi sequi possent: at summos viros in fraudem induxisti: hic enim morbus tuus Medicos etiam sefellit, ut sanitatem putarent: hanc itaque pestem secuti novorum principia malorum pepererunt: cum docuerunt modo similitudinem, & dissimilitudinem ad methodicam cuiuslibet artis constitutionem sufficere, modo praeter compositionem, & divisionem faciendis artibus nullam viam esse, modo utraque coniungi, modo tria methodorum genera, primum compositionem, & divisionem: secundum consequentium, & pugnantium cognitionem, tertium rerum inter se mutationem in maioris, & minoris, & aequalis, & similis ratione: modo tria capita compositionem, divisionem, definitionem: quae tot, tamque caecae tenebrae ex inventionis, iudicii que confusione natae sunt: compositione (quamvis eae primo inventae sint & collectae) nullae tamen artes explicantur: cetera nomina sunt argumentorum, quorum collocandorum &

unica via, & naturalis est, a toto ad partes definiendo, dividendo, exemplis illustrando descendere. Tertium iudicium reliquum est, quod PLATO in *Republica* attigerat: eius nullam mentionem fecit Aristoteles, nisi quod a suis in *Metaphysicis* Theologus, & divinus appellatur: in quibus non Theologia, sed morologia quaedam inaudita describitur: nam cum *primi libri duobus capitibus*, & *initio tertii* sapientia definitur *causarum scientia*: deinde proponuntur causarum quatuor genera, *forma, materia, efficiens, finis*: deinceps velut e tumulo lutulenta palude circumdato omnes in partes digressiones perpetuae sine regressione fiunt: in reliquo enim *primo libro* Philosophi vellicantur, qui de causis locuti sunt: *secundo* quaeritur, an causae specie, & origine sint infinitae: *tertio* inanium dubitationum cumuli substrati sunt: *quarto* quaedam Dialectica inferuntur, sed ex omnibus deliramentis longe maximum illud est, quod contradictio, quae principium principiorum statuitur, longissima tamen oratione confirmatur: septem proximis libris thesaurus est vocabularii sophistici, & Metaphysicae phreneseos distortionis phantasticae: quasi aliqua possit esse doctrina ex solo genere, ubi nullae species considerentur: sic enim phantasticus ille Theologus entis Metaphysicam ait esse, quatenus ens est: nec substantiam, quantitatem, qualitatem, & caetera a Metaphysico somniatore, sed ens solum considerari: quod si ad coenam lautis perdibus, leporibus, caeterisque epularum generibus affluentem vocaretur, nec hoc, nec illud attingeret, sed ens ipsum supervolitans quatenus ens est, phrenetico odoratu ruminando degluberet. Nec defuere tamen, qui ad Metaphysica somnia Aristotelis, tertium iudicium quod Plato *Dialecticam* singulari nomine appellat, traducerent, & *Dialecticam* dicerent a Platone, Metaphysicam nominatam: tam difficile videlicet erat intelligere inventionem, dispositionemque rerum, quae oratione tractantur, esse Dialecticae: atque illum locum Platonicum ex pulcherrima dispositione constare: *Metaphysicum* autem illud tertium iudicium nominare potius, quam *Mathematicum, Ethicum, Politicum*, nulla ratio est: quoniam non Physicae solum, sed Mathematicum, sed Moralium, sed omnium artium dispositionem habet: verum redeamus ad rem: *duodecimo libro* videtur tot digressionum naufragiis sapiens urinator in portum se recipere: & meminisse tandem aliquando, sapientiam initio definitam esse *scientiam causarum*: quaerit igitur, quae sint, & quot in coelo causae, & paucula quaedam ab Astrologis de numero orbium suffuratur: ut verissimum pateat haec intuenti, non solum quod scripsit de libro illo PLUTARCHVS in *Alexandro*, nihil hic utilitatis, vel ad docendum, vel ad discendum esse: sed (si ex effectis artium vim metiri liceat) egregia quaedam (ut dixi)

dixi) morologia fit, quae moriones huius nimiae sapientiae oraculis efficiat: quamobrem Deum Optimum Maximum precemur, ut signatum illud lumen suum in mentibus hominum rursus accendat: ut cogitationes a stultitia, & vanitate revocent: veritatem intueantur: fructum vitae diligant, miseriam fugiant: ô Apelles: ô Timantes, ô Protogenes, ubi sunt vestrae laudatae manus? utinam iam adfit vestrum aliquis, qui humani iudicii tantum chaos egregia aliqua tabula depingat: qui hortos istos Hesperidum, qui tot tamque multiformes belluas suis coloribus exprimat: ut in medio tres syllogismorum simplicium species velut arbores erigat, tribus vicinis naturae & perennibus aquis irriguas: sint brachia gemina singularum suis quaeque dispersita ramis, quorum fructus qui gustaverit, suavissimae, longeque gratissimae veritatis voluptatem assequatur: circumstant autem horribiles undique, & terribiles belluae, principia *dici de omni, dici de nullo, omni inesse, nulli inesse*, conversiones omnium monstrorum, permissiones dissidentium, repugnantiumque prodigiorum infiniti ultro citroque commeantes unguiculis: atque has aureorum malorum primas vigilias sequantur phantasticae saltantium empusarum larvae: postremo noctes, tenebrae, spinae, sentes, rupes, saxa, voragines, miserabiles cupidorum adolescentium casus spectentur: atque aliorum primo vestibulo cadentium, & a primis draconibus devoratorum, aliorum virtute, atque animo valentiorum, sed in secundi loci dementiam incidentium, aliorum velut in hiatus immanes praecipitantium, aliorum sylvarum tenebris implicatorum, paucissimorum, qui cum forte superiora pericula lacero corpore vitassent, secumque syllogismorum decerptos ramos aliquot asportassent, fructus tamen non magis, quam apud inferos Tantalo mala, & aquas attingere liceret,

*Tibi enim Tantale nullae*

*Deprehenduntur aquae, quaeque imminet effugit arbor:*

utinam (ut dixi) nobis adfit ille pictor, ut Aristotelei miseriam suam, cuius amplitudinem nulla vis orationis assequi possit, pictam videant: & bonos adolescentes ad eam vocare tanta rabie desinant: patiantur tam pestifera, tamque exitialia humani iudicii portenta (si forte ipsi periculum metuant) ab aliquo tamen Hercule necari, ut omnibus iter pateat: ut humana ingenia suas dotes in aperta luce perspiciant, discant, ament, & a vitiis seiunctae virtutes omnibus prosint: vitia virtutibus implicata nemini noceant: perpetui naufragii finis aliquando sit: in portum tandem ex alto invehamur, qua velificatione, qua via, nihil interest: malimus secundis ventis mutato cursu recta portum petere, quam adversa tempestate usque quaque iactari, nec ob id alienam tantum damnemus industriam, quod bene sperare ausa sit: sed praeclaram illam

satyrici vocem considerati, & attentis audiamus:

*Discite nunc miseri, & causas cognoscite rerum,  
Quid sumus, & quidnam victuri gignimur, ordo  
Quis datus, aut metae quam mollis flexus, & unde.*

nati enim factique sumus, ut parentis naturae consilia nostris animis inscripta discamus, hisque pareamus: non ut vanis opinionum controversiis de muneris, officiique gradu deiciamur: & alios eadem ruina praecipites agamus. Superest Aristoteleae confusionis exercitatio consuetudine, non minus, quam praeceptis, & institutione misera: tres ad eam miseriam libros destinatos video, octavum *Topicorum*, & duos *Elenchorum*: octavo *Topico* (sicut par fuit) suis aucupiis egregii concertatores sunt instructi: non enim veri disputatores instituuntur, sed pertinaces, captiosique sophistae, & impostores illis artificiis adornantur: quasi Dialectica veritatis esse perturbatrix, non indagatrix, aut ratione abuti, non uti debeat. At quam est miseris Aristoteleorum praeceptis conveniens exercitatio? quam sophistarum propria? quaenam igitur est Aristoteleorum exercitatio? potuit bonis authoribus explicandis, atque interpretandis Cicerone, Virgilio, Poëti, Oratoribus, Philosophis exerceri Dialectica: eiusmodine est Aristoteleorum meditatio, ut quaestionem videant? inventionem aperiant? iudicium exponant? nil simile unquam apud illos auditum: an in tractandis, & scribendis perpetuis rerum utilium, honestarumque quaestionibus (quemadmodum audivimus ab Aristotele, quamvis in libris omnia corruperit, adolescentes in thesi exercitatos esse) eorum labor occupatur? minime vero: sed si quis liberaliter institutus ad istos accesserit, qui vel poema condere, vel epistolam facere, vel orationem scribere didicerit, primum illud est, ut obliviscatur: indignari siquidem magistri solent, si profanis illis (ut iudicant) rebus haec sacra mysteria contaminentur: quid ergo est? quomodo Aristotelei Dialectici exercetur? video cogitationem subitam atque extemporalem dictionem esse reliquam: hinc fortasse, ut sophistae veteres, copiam orationis inventionem, iudicioque tractandis, & excolendis augent, atque amplificent? poscunt in conventu quaestionem, de qua quis velit audire? magnas opes industriae suae, cum summa admiratione omnium illic ostentant? obmutescunt Aristotelei omnes, si quid horum interrogas: & se credent abs te derideri: ita nova huiusmodi interrogatio, atque inusitata accidet: ubi ergo biennii tantus, tam gravis, tam molestus sudor consumitur? in miseris, & vere caninis latratibus: ubi vidi, & quotidie video (miserum me, haec enim sine dolore maximo meminisse non possum) tot, tamque excellentia ingenia ad infelices scopulos nimmium diu immorari, immori dicere debueram: si enim mors corporis appellatur, cum spiritus, vitaeque adimitur, appelletur sane mors ingeniorum, quae naturae lumen (quo mens ipsa vivit,

ac sustentatur) adimit: nihil hinc augendi causa dicam, sed quod omnibus quotidie experiri liceat: quodque ipse vidi in his egregiis clamoribus, concertatores eo saepe contumeliis, atque iniuriis pervenisse, ut cum multas horas, ne quicquam vociferati sudarent, anhelarent, toto corpore fumarent, nondum tamen intelligere potuisse, quid esset, de quo disputaretur: puderet & quidem vehementer puderet, meretrices publico loco libidinibus omnium propositas tam inconstanter, tam sine ratione, tam pertinaciter, tam captiose altercari. Gnathena meretrix reprehensa a Stilponte philosopho, quod adolescentes corrumperet, tu (inquit) egoque Stilpon in eodem haeremus crimine: tu adolescentes tecum versantes inutilia: ego amatoria sophismata doceo: ut nihil referat, cum tali philosopho versentur, an cum meretrice: fingite Aristoteles Stilponte esse, hisque a Gnathena illud responderi: vero certe verius illud erit. At stultorum (ais) est Aristotelis praeceptis abutentium, non Aristotelis culpa haec: quare vituperata, si vis, abusum doctrinae, usum ne temere, & sine causa reprehende: verum certe est, stulte exercetur Aristotelis doctrina clamando de praeceptis, & vociferando: sed videamus, quae sint Aristotelis haec de re praecepta: instituit octavo *Topicorum* interrogantem, & respondentem ad contentiorem accidentis, generis, proprii, definitionis: ergo Aristoteles Dialecticam e potentissima, & nobilissima, miseram, & ridiculam effecit: Dialectica vires suas interpretatione, scriptione, dictione, quasi triplici orbis parte dilatare, atque exercere poterat, ac debebat. Aristoteles interpretationem, scriptiorem, Asiam videlicet & Africam, praedae, direptionique, ignaviae atque inertiae reliquit: totam dictionem, imo dictionis abiectissimam, minimamque velut Europae regiunculae particulam, quae de praeceptis altercatio est, caeteris omnibus desertis, & proditis, ad desidiam retinuit: ut cum Dialectica debeat universi orbis imperium consilio, diligentiaque regere, ab Aristotele omni dignitate, atque principatu spoliatur, in abiectissimum, contemptissimumque locum amandetur: At quibus armis instruxit Aristoteles interrogantem, respondentemque? quem finem altercationum proposuit? cogita quid impudentissimis sophistis conveniat, id reperies ab Aristotele concertatoribus esse propositum: finis iure, vel iniuria vincere: idque ut in belli cupiditate, sic in hac vanitate contentiorem fortasse valebit,

*Dolus an virtus quis in hoste requirat?*

diceres vero pretiosissimum illud victoriae praemium: ita saepe ab his (qui se vicisse existimant) appetitur, ergo intentum, clamant: hoc enim solemne, sacrumque victoris canticum est: nonne pulchrum est (inquit) vincere, turpe vinci? nuda ista si ponas, qualia sint, aestimari non facile potest: causis si distinguantur, facillime po-

test: virtute, & laude vinci, certe turpe, & miserum: vitio & stultitia superari gloriandum, & praedicabile: ita vincere non pulchrum, & vinci honestum esse potest. Quaero igitur abs te, quam ista defendis, si tu, adversariusque tuus gravissima peste laboraretis: an tu illum curare, an ab illo curari mallet? ab illo mallet (inquit): quae autem pestis maior est falsa opinione, atque prava? responde: iam nullas tenebras offundo: aperte dico: praestat maximo malo liberari ab hoste, quam hostem liberare: at vero falsa opinione refutari, est mala peste liberari: praestat igitur aliquando refelli, quam alium refellere: finis quis sit, videtis: nunc arma quae sint considerate: petitio principii ex Empusis analyticis huc revocatur, addita etiam contrarii petitione: artes omnium tenebrarum quaeruntur adversarii de sensu, atque mente deturbandi: & nequitiam non ferendam, & nebulones improbos, & verberones flagitiosos: petitionem principii, tot modis accusatis, & vos in hoc luto perpetuo volutari non sentitis? quid est petere principium? est rem dubiam, & incertam per incertorem, aut certe incertam probare: quid vos Aristotelei, quando Dialecticam (quae natura tam facilis erat) tam obscure, tamque perturbate traditis: num principium petitis? an vobis peccare licet impune: caeteris nisi maxima proposita reprehensione non licet? cur tenebras offunditis? an si Romam ducere me velis, obcaecandus sim, ne viam usquam aspiciam? hae enim tenebrae sunt, quas offunditis, ne intelligat adversarius, quo argumentis vestris ducatur: & quemadmodum Stesichorus Lyricus poeta ob vituperatam Helenam, sic ob stulte defensam sententiam obcaecati, palinodiam cantant. At dicet aliquis, repugnantibus tenduntur insidiae: ne meditari quidquam contra possint: & tandem capti erubescant: fallor, equidem arbitrabar, Dialecticam de virtutibus humanis unam esse vel maximam: nec tot vitiis cupiditatis, pertinaciae, indignationis, libidinis implicatam: atque omnis disputationis (quae via & ratione tractaretur) non alium finem esse, quam veri cognitionem: non autem hanc egregiam caeci Stesichori palinodiam, & tanquam publici facinoris infamiam: secus arbitrabar, eum qui se tendiculis istis constriatum sentiret, non solum nihil assensurum, sed vehementer indignaturum, pudoremque praesenti iracundia neglecturum: quin etiam illato maiore (si possit) pudore vindicaturum: quid enim est aliud, quod accidit quotidie hominum istorum concertationibus? alienas res agere, propositis rebus nihil respondere: clamare contra quam deceat, perturbari, atque alios perturbare, excandescere, convitiari, fastidiosae res obiectas aspernari: quid inquam, hoc est, nisi insidiosae tuae veritati repugnare? pudorem omnem deponere? & quantum licet acceptam illis insidiis iniuriam ulcisci? Atqui refutare sine ira-

iracundia, refelli sine pertinacia, & ad modestiae fructum honestissimum, & ad intelligentiae prudentiam amplissimum fuerit: haec non tam verbis, atque oratione vitia mihi refutanda erant, quam publico iudicio, publicoque supplicio plectenda: iuventus domi cum pudore, & modestia studiose, & diligenter erudita ad scholas hominum istorum mittitur: quamobrem? ut inchoatas naturae, & educationis virtutes melioribus & sapientioribus monitis, atque institutis absolvant, perficiantque: quid sit tandem? Cynicam crederes esse scholam: ita flagitium est, ullo loco modestum, pudentem, verecundum sermonem esse: omni genere impudentiae concertatur: qui longissime omnes verecundiae fines transilierit, is primas omnium iudicio consequitur partes: ô Moecenates, quantum malum, quam grave, quam poenis omnibus, suppliciisque coercendum hoc putatis? Agafo, si quid in tractandis vestris equis offenderit, verberatur, expellitur, abiicitur: Aristotelei non si quid commoditatis omiserint, sed si omni genere vanitatis & amentiae iuventutem corruperint, honoribus & muneribus amplissimis a vobis afficiuntur: ô patres, ô Moecenates, rursus audite: alumnos vestros interrogate, quid fructus ex his hominibus acceperint, quibus in negociis egregiis illis disciplinis sint usuri: spectate animos, qui abierant: considerate quales redierint, ponderate biennii studium: non de equis vestris, sed de hominibus, de liberis, de propinquis, de his quos non equorum vestrorum, sed vestri similes, aut vobis praestantiores esse vultis: cur non impetro, ut quantum vos belluis, & mancipiis, tantum vestris liberis, tantum vobis ipsis tribuatis? sed postrema videamus: vereor enim, ne temporis rationem non satis habuisse videamur: sed satis fuisse liberis, & rectis iudiciis homines existiment, admonuisse, atque excitasse, ut haec tam foeda, tamque pestifera vitia cognoscantur, refutare tam multis verbis non oportuisse: cognita enim per se ipsa satis refellentur: haec postrema inquam, videamus: *Elenchorum* duo libri sunt, qui soli ex omnibus Aristotelis de Dialectica libris viae Dialecticae speciem quandam, licet inanem, habent: definitur hic enim sophista, distribuuntur eius fines, finiumque partes, & quo modo singulis sit resistendum: sed quamvis minore (quam superiora omnia) confusione traduntur, res tamen hic non minus fatuae, deliraeque sunt, quam sunt in superioribus a nobis demonstratae: primum descriptio ipsa vitiorum universa, non ex recta virtutum oppositione nasci debuit, ut quot genera virtutum essent, tot saltem ostenderentur esse genera vitiorum? & quemadmodum duae sunt universae in Dialectica virtutes, altera inveniendi, altera iudicandi: sic universa duo vitia esse debuerunt, alterum rectae inventioni, alterum legitimo iudicio adversum, atque inimicum: ut prudenter differendi virtutibus, opponerentur con-

traria fallendi vitia, & captiosa argumenta veris: fallax inventorum collocatio, rectae atque constanti: sed quid ab authore tenebrarum, lumen requiras? si enim perspicue vitia traderentur, virtutes (quas in profundo demergere voluit, & facris suis sacerdotibus divinandas, quasi testamento legavit) tenebris liberarentur, & a quovis e populo cognoscerentur: quoniam (ut ait HORATIVS)

*Virtus est vitium fugere, & sapientia prima Stultitia caruisse.*

sed tamen quid vetat res omnes, ut erunt, intueri? *quid est sophista* (sic enim loquitur Aristoteles in schola) *pecuniarum aucupator, ab apparente sapientia & non existente*: verissima definitio, sed quid habet utilitatis? certe plurimum, ut Aristoteles sua definitione sophistas esse cognoscamus: quamquam hic non tantum pecuniae aucupium, quam temporis, animique detrimentum in miseris praeceptoribus video: & mercedem a doctis & honestis laboribus alienam non puto, cum & Socrati collatum sit ad victum: & Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Diogenes mercedem a discipulis acceptaverint, & minam Dialecticorum mercedem fuisse CICERO testis est: itaque totam huius aucupii causam missam faciamus: cum potius hic accusandi sere sint ingrati discipuli, quam avari magistri: neque enim male IVVENALIS,

*Scire volunt omnes, mercedem solvere nemo.*

quae quamvis ita sint, nihil tamen Aristotelei putent, me sibi gratulari: doctis, & laboriosis praeceptoribus gratiam referri volo: barbaris & inertibus nolo, sed rem ipsam videamus: quid est igitur quod venditur in officinis Aristotelesorum? sapientiae ficticia, & commentitia? minime: quid ergo? dementia falsam sapientiae simulationem induta: nihil hic concludo: homines erunt Aristotelei: sentient quid in syllogismo, propositione, atque assumptione positis, sit reliquum: genera sophismatum quot sunt? quinque, redargutio, falsum, inopinabile, sollocismus, nugatio: redargutionis partes in dictione, sex: quarum quinque *aequivocatio* (utur vocabulis Aristotelesorum) *ambibolia, compositio divisio, accentus*, in ambiguitatis vitio (quod est omnis orationis commune vitium, nec vanas illas sectionum ineptias requirit) uno verbo satis intelligitur: figura dictionis captiosa est similitudo, nec tamen omnis: potest enim aliter fallax esse similitudo: redargutionis extra dictionem partes septem, fallacia accidentis, secundum quid, ignoratio elenchi, petitio principii, consequentis, non causae ut causae, interrogatio- num variarum: haec septem membra cum Aristoteles existimet ignoracione elenchi contineri, credamus homini: caetera rideamus: verum tertio loco video petitionem principii inculcatam: placuit haec empusa nimis Aristoteles, nimisque apta visa est, per quam humanis ingeniis illudetur: retexamus orationem, dicamus Aristoteles faciles esse velle: quia tot locis, tam saepe, tam



vehementer obscuritatem reprehendunt: at nolunt: maximam laudem in obscuritate collocant: eamque suo principi propriam attribuunt: in quo mihi videntur stulta cupiditate defendendi Aristotelis nimium stupidi: author lucis, ô sophistae Aristotelei, quis est? deus: author igitur tenebrarum quis erit? non cacodaemon? at istarum tenebrarum Aristotelem authorem non modo fatemini: sed cum summa eius (ut existimatis) laude, gloriaque profiteamini: fallacia secundum quid est divisionis falsa species: videtur enim totum ad partem conferri: fallacia non causae ut causae unde fit, suo nomine indicat: fallacia consequentis est, captiosa species connexi syllogismi secundi fallacia accidentis, variarum interrogationum, ignorationis elenchi non novis legibus indigent: sed syllogismi praeceptis agnoscentur: quamobrem in tam multis vitiorum generibus redargutione comprehensis, cum nihil est ad virtutum fontes relatum, atque comparatum: tum de omnibus quatuor sola sunt, quae videantur aliquid indicare: figura dictionis, fallacem similitudinem, secundum quid, divisionem: non causam, causam, consequens, connexum secundum syllogismum: primus itaque sophistarum finis ita est: reliquorum falsi, inopinabilis, soloecismi, negationis vanitas non tam involuta, quam ridicula est: propterea si cui tantum erit a seriis & utilibus rebus otii, ineptias etiam ut curet, oblectet otiosum his egregiis ludis animum, oblectet (inquam) non pascat: nisi forte sponte velit insanire: sed quid habent utilitatis, hi quinque ita descripti fines? quid redargutio? ut Aristoteleos sophistas esse cognoscamus: quid ita? quia ad redargutionem omnis eorum disputatio, contentioque refertur: nemo enim eorum disputat, ut doceat, sed ut adversarium quacumque ratione possit, eludat: quid falsum? ut Aristoteleos sophistas esse cognoscamus: quid ita? quia omnis eorum conatus, & cogitatio huc pertinet, ut adversarii sententiam, tametsi intelligant esse verissimam, falsam tamen esse probent magna cum admiratione stultorum: quid inopinabile? ut Aristoteleos sophistas esse cognoscamus: quid ita? quia hoc unum student, ut contrariam sibi opinionem ad absurdam, & incredibilem confessionem deducant: quid soloecismus? ut Aristoteleos sophistas esse cognoscamus: quid ita? quia honos eorum summus est, non adversarios suos modo, sed discipulos in foedissimam barbariem pellicere: idque quo facilius assequantur, exemplo suo magistri discipulos provocant: in quo mirabiliter excellunt, vocabulis innovandis, *sylogizare*, *exemplizare*, *epilogare*, *similitudinizare*, *barbarizare*: nec Aristotelem quemquam a cogitationibus explicandis verborum inopia retardavit: quid negatio? ut Aristoteleos sophistas esse cognoscamus: quid ita? quia unam rem millies sine causa obtrudunt: denique si semel omnia complecti volumus, omnis haec sophistarum interpretatio

ob id scripta videatur, ut Aristoteleos sophistas esse cognoscamus: nec tam ego arbitror Aristotelis hoc inventum esse, quam Stoici, aut Epicurei cuiuspiam, Aristoteleos falso autoritatis nomine traduentis: *sophista* (dicit) *est pecuniarum aucupator ab apparente sapientia, & non existente*: quales igitur sunt Aristotelei? illi sunt ipsi: quot sunt fines, quos sophistae consectantur, & a quibus sophistae nominantur? quinque, redargutio, falsum, inopinabile, soloecismus, negatio: quid tam propositum habent Aristotelei? nihil aliud dies, ac noctes intuentur: illam sibi metam, illa munera proposuerunt: dubita igitur, si placet, problematice Aristoteleos sophistas esse, an non? At ingratus sum: hoc enim crimen iam tum mihi obiiciebant Aristotelei, cum haec eadem (quae nunc lentius quietata cogitatione scribuntur) in publica praelectione vehementius disputarem: ingratus inquam sum, qui praecceptorem sic accusem: quicquid enim sum, ex Aristotelis schola sum:

*Heu pietas, heu prisca fides, ubi estis?*

Violatur a discipulo magister: novum crimen, & ante hoc tempus inauditum: cui quo modo respondeam, multo ante mihi providendum est: si dissimulo, testes infiniti contra producentur: si confiteor, mihi notam indignissimi sceleris inuram: sed modus erit aliquis tam difficili defensionem, Aristotelis doctrina factus sum: quicquid ego sum, si quid sum (quod scio quam praeter spem aut nihil sit, aut certe perexiguum) Deo Optimo Maximo primum, deinde hominibus, qui adiuverunt, habenda gratia est: sed tamen de omnibus huius disciplinae partibus, quid Aristoteli acceptum referri putamus oportere? inventio praeceptis & exemplis erat a veteribus informata: primi iudicii pars altera de coniunctis syllogismis, post Aristotelem a Stoicis exposita est: Secundum a Prometheo multis ante natum Aristotelem temporibus erat institutum. Tertium a Platone notatum. Exercitationem primi non sumus hanc secuti, sed certe quod sciam, primi hoc modo, sicut artem totam sumus interpretati: quid ergo reperit Aristoteles? quod puer non omnino inconsideratus, animadversa naturae in iudicando dispositione una hora inveniret: quid igitur? syllogismos simplices trium figurarum: nihil praeterea? nihil certe, quod laudari, probarique possit: malorum vero (quae ad hanc artem perturbandam reperit) dii non tantum una in arte congeri tulissent: minus me mearum vigiliarum poeniteret, quas insoelicissime illis in miseris collocavi: quod si viam aliquam adjuvanda vitae declarare voluisset Aristoteles, quamvis non effecisset, voluntatem tamen laudarem, & gratiam haberem. At noluit, testes sunt Aristotelei, qui profitentur Aristotelem de industria obscurasse, & occultasse lumen, beneficiumque naturae, ut hebetes (quos Philosophus ille pessime odit) ulcisceretur: quin etiam afferunt, Aristotelis ipsius (quam aptum, viderint) sed ta-

men afferunt ea de re testimonium, qui libros suos ita scriptos reliquerit, ut duntaxat ab iis intelligi possint, qui ipsum audierint: in quo non interrogabo Aristoteleos, quare nihil hactenus in Aristotelis libris intellexerint, cum ipsum nunquam audierint: quapropter si commoda, incommodaque ab Aristotele in hanc artem inuenta conferantur, unius diei, aut summum unius hebdomadis (qua syllogismi simplices recte, atque ex ordine traditi, cognosci possint) Aristoteli fructus debebitur: biennii vero, quo perpetuo velut in atra nocte pererratur, calamitas, & miseria cui debebitur? Hic mihi beneficium ullum Aristotelis obicitur: at quale beneficium? pyratarum certe & latronum, qui cum captivos spoliaverint, & diuturna servitute vexaverint, solent tamen non nihil aliquando largiri. An igitur gratus futurus sis, cum ex eorum manibus effugeris, si populares & cives tuos prudens & sciens patiari in illorum latronum manus venire? non impie, & scelerate ingratus, nisi iudices adeas? nomina perditorum, sceleraque deferas? publici periculi admoneas? ita cum tantum non fortunarum, quae ereptae recuperari possunt, sed temporis, quod praeteritum nunquam revertitur, in Aristoteleis illis syrtibus damnum fecerim, tantum periculum adierim: possumne sine summo scelere solventibus e portu, ipse in portum ex alto investus non praecipere (ut ait CICERO) summo studio, & tempestatum rationem, & praedonum, & locorum? possumne inquam, cum ex tanta iactatione ad terram appulerim, non admonere caeteros, omnes, quibus similes tempestates subeundas esse videam? Grati & liberalis animi est, rempublicam officio, labore, diligentia, pietate adiuvere, non miseras pestes alere, & ad publicam perniciem fovere: quamobrem cum hoc tantum certamen, humani generis, & publicae utilitatis amore commoti suscipiamus, quis erit calumniator, & invidus, qui iure nostram industriam possit improbare? aut qui non concedat potius in has pestes multo vehementius afferendae veritatis gratia nos invehi debuisse? quid enim veritate charius? quid mendacio bonis animis odiosius esse debet? at tam abest, ut contradicendi studio hominem illum persequar, ut si quis excusare velit, excusationis occasionem peropportunam praebeam: hos quippe libros tam dementes Aristoteli falso attributos esse, nec istas tam ieiunas, tam aridas spinas Aristotelis eloquentiae convenire: flumen Aristotelis aureum, & incredibilem dicendi facultatem, copiamque tot locis a Cicerone celebratam, ingratis, asperis, strigosis sophismatis similem non esse: subdititias & translatitias nugas, non Aristotelis vigilias esse: & sexcentis annis (quibus Aristotelis aetas ab Alexandri, Themistiique primorum Aristotelis interpretum aetatibus disuncta est) Aristotelis doctrinam primum a Peripateticis in miscellaneas scholas confusam, cum libris sui principis carerent,

deinde libros illos veros ab Apellicone corruptos, tandem ab Andronico in tabulas contractos, ut PLUTARCHVS, STRABO que scribunt: ita tam manifestis erroribus, non Aristoteles ille Platonis discipulis, sed impudentissimus, & flagitiosissimus impostor, perturbatorque generis humani fuerit a me delatus, & accusatus. At nimis severus, vehemensque sum: verum, quis periculosissimis morbis non intelligit, gravissimis remediis opus esse? Marcus Cato in petitione Censurae cum populum Romanum delitiis, & voluptatibus fractum, atque enervatum videret, ex suggesto improbis minitabatur, aperte, ac palam clamabat, civitati maxima expiatione opus esse: itaque si populus saperet, se asperrimum medicum deligeret: qui mollitiem illam velut hydram incenderet, atque concremaret: ita vos Aristotelei tam diuturnis & inveteratis malis oppressi, non mollem, & vestris morbis assentantem, sed severum, diligentemque medicum expetite, qui vitia, causasque vitiorum penitus inquirat: qui putria tandiu, mortuaque membra pertentet, urat, amputet, aegrotantium libidini nihil indulgeat: saluti tantum prospiciat: eum ego me vobis medicum esse profiteor, nec ullo me tamen Aristoteli contradicendi studio commotum existimetis: haec enim eadem si pater meus venena sparsisset, non minus constanter, & fortiter accusarem: esset enim mihi veritas parente charior: & infinitorum hominum salutem unius hominis stulto amoris praeponerem: sed de misera Dialecticae lucis obscuratione dicendi finis sit: virtus ipsa loco alio, & proprio proposita est: & vitia, ut spero, his admonitionibus intelligentur: Ac quoniam veterum diligentiam secuti, veritatem a mendaciis asseruimus, exercitationis virtus amplexanda nobis est: quaenam (inquies): ea certe, quam in *Dialecticis Institutionibus* aperui: praecepta breviter cognoscantur: de his raro ac tantisper, dum eorum memoria confirmetur, disputetur: diligentia atque exercitatio tota ad aliquam utilitatem conferatur: versetur igitur in interpretandis bonis authoribus, scribendis, dicendisque rebus honestis, atque utilibus: at haec (dicunt Aristotelei, audivi enim hanc vocem) bona sunt: quis negat? at cur a nobis expetuntur? an est ista scholastica consuetudo? intelligo, non debetis, quia non potestis: recta certe ratio est, & recte MARTIALIS,

*Sexte nihil debes: nil debes Sexte fatemur:*

*Debet enim si quis solvere Sexte potest.*

ô tempora, ô mores: ergo quia stolidus, infans, balbus, ignarus literarum, expers humanitatis, & vitae es: ideo cogendi sunt adolescentuli, ut tui similes fiant? At consuetudo nostra est: consuetudo (Deum immortalem) nobis allegatur pecudum non hominum argumentum? pecora enim atque armenta, cum via aliqua assueverunt, si melior, & brevior ostendatur, non sequuntur: at hominis alia debet esse conditio: quid enim Aristoteles, id est deus vester,

ster, cui soli creditis, an est consuetudinem in Philosophia, & ea quae dici solebant, secutus? quis gravius? quis vehementius veterum decretis se opposuit? quod si veterem consuetudinem simplici, & improvida credulitate secutus esset, non ad severam iudicii libram perpendisset, suisque ponderibus examinasset: nihil posteritati reliquisset Aristoteles: ergo consuetudini nec paruit, nec debuit: consuetudinis argumentum a Philosophis in quaestionem veritatis adducitur? quales obsecro vos Aristotelei, essent Galli, Germani, Itali, si consuetudinem maiorum tenuissent? essent idololatrae, Christianae religionis pietatem repudiassent: quia consuetudinem veterem abrogabat: denique quid habet ista consuetudinis ratio? viam certe ad inferos perexpeditam: quid ita? quia huc hominum pars longe maxima descendere consuevit: multi enim vocati, pauci electi: quid igitur efficit consuetudo? ducit ad inferos: o caeci nimium dju, atque infelices sophistae: convertite aliquando oculos ad eas res, quibus humana vita, & necessario, & semper utitur: fartores, & coquos habeat aetas nostra praestantiores fartoribus, & coquis antiquorum temporum, an a principibus expellentur ideo, atque exterminabuntur aulis, quia supra consuetudinem aliquid melius condiant? architecti & fabri domos & lectos artificiosius faciant, quam veteres solebant, quis eorum propterea damnabitur & accusabitur? Sartores, calceolarii, vestes & calceos venustiores elegantioresque sarciant, suantque quam patres, quis eos calumniabitur? At in animi virtutibus, quae solae sunt hominum, si quis quid melius, diligentius, utilius cogitat, clamant Aristotelei: constringatur, verberetur, tollatur in crucem: valeat consuetudo, retineatur antiquitas, ambulemus in via patrum: non simus tam arrogantes, ut velimus patribus esse sapientiores: doceamus, quae didicimus: etiamne vana? inutilia? perniciofa, quibus ingenia retardantur? vita corrumpitur? prudentia hebetatur? opinor, quia Aristoteles dixit. Proh summe Iupiter: hi sapientiae humanae publicis studiis professores maxima mercede instituuntur? An non licet gratis delirare, nisi publica auctoritate dementiae professores conducantur? Furius Camillus cum Faliscos obsideret, ac ludi literarum magister principum filios ad eum adduxisset, vinctum eum iisdem pueris in urbem redigendum, & verberandum tradidit: o Camille, utinam reipublicae nostrae praefectus sis, & hos proditores adolescentulorum agnoscas: quibus tu poenis, quibus flagris dignos statueres? illi duntaxat tibi corpora prodebant, at hi animos (quorum est immortalis conditio) immanissimo, crudelissimoque hosti, inertiae produnt, atque addicunt: quorum proditionem cum detego, cum desero, cum palam producto verissimo naturae testimonio accuso, iudices aequos Deus Optimus Maximus contentioni meae praebebit: qui veritatem libenter au-

dient, tenebras expellent, solem in mundum revocabunt, pestes publicas oderint, reipublicae studiosos amabunt, pulcherrimum, longequae divinissimum Omnipotentis Dei munus osculabuntur: foedatorem eius, atque corruptorem detestabuntur: patrium naturae lumen cum laetitia, ac voluptate aspicient: peregrinas infantis amentiae tenebras a se avertent: ponent ante oculos Dialecticae naturalis virtutem, divinitus animis nostris insitam: paucis monitis inventionis, iudiciumque omnis sapientiae fontes amplectentem: tum referent sese ad chaos illud Terminorum, Praedicabilium, Praedicamentorum, *ἰσχυρῶν*, Analyticorum, Topicorum, Elenchorum & infinitarum introductionum, in quibus non imaginem Dialecticae naturalis, sed confusionem ingeniorum, perniciosas insidias publicorum studiorum, impedimenta doctrinarum omnium cum viderint, impiam superstitionem vindicabunt, ulciscuntur reipublicae iniurias: honesta, iucunda, utilia bonis ingenis ostendi non solum patientur, sed tradi etiam imperabunt, ut iuventus modesta, facili, & utili institutione erudiatur: eloquentiae studia, cum sapientiae studiis coniungantur: nec illud cordis, & linguae (ut *CRASSVS* ait) divortium fiat, absurdum sane, inutile & reprehendendum: ut quod homini Deus rationis, ac mentis explicandae gratia animantium soli dederit, id non solum in divinam beneficentiam, sed in nosmetipsos agresti quadam, & barbara ingratitude obcaecati, repudiemus: quamvis enim Dialecticae ratio, Rhetoricae oratio propria sit: nec cordis in ore, nec oris in corde sedes posita sit, tamen ut cordis, & linguae officia fidelissima societate natura coniunxit: sic Rhetoricae & Dialecticae munera usus & exercitatio copulare debet: ut quascumque in oras disputatio, regionesque delata sit, sive de domesticis, sive de publicis, sive de magnis, sive de humanis, sive ad privatos, sive ad iudices, sive ad populum, sive ad reges, sive ad paucos, sive ad multos, sive inter alienos, sive cum suis, sive secum, sive interrogando, sive respondendo, sive sermone continuo, sive de re quavis, & modo quovis agatur: una & eadem Rhetoricae, & Dialecticae consociatio sit: nec tamen idcirco rationis idem genus, nec orationis perpetuo quaeretur: concio populi capit omnem splendorem orationis, verisimilitudine contenta est: sapientum conventus orationis non ingrata, nec inornata puritate (quae enim aures foedam barbariem nisi barbarae libenter audient)? contentus est: veritatis indubitata fidem requirit: sed temperamentum conspirantium, non divortium dissidentium officiorum hoc est: sic istas artes exercuit Plato: nec minus diserte dicit, quam subtiliter, & acute differit: easque sic exercendas esse docuit: ideoque eius auditor Aristoteles (quamvis haec omnia in libris confuderit) non ad miserum, & liberalibus studiis perniciosum morem, de solis praeceptis tenuiter, &

aride balbutiendi, garriendique, sed ad copiam Rhetorum in utramque partem de omnibus rebus differendi, ut ornatus, & uberius dici posset, & se ipsum, & discipulos suos exercuit: siquidem mane Philosophiam, vesperi Eloquentiam eodem die docebat: hinc nobilia illa Lycei spacia, alterum ἑωθρινόν, alterum δειλινόν, id est, matutinum, & vespertinum perpetua laude celebrantur: ex perpetuis illis disputationum fontibus illud Aristotelis aureum flumen, ut ait in Lucullo CICERO, redundavit: illis ipsis exercitationibus iactatus in Theophrasto, divinus orationis candor enituit: atque illud ab eo memorandum, ac celebrandum manavit, potius effrenato, & efferato equo, quam incondito, atque inculto verbo fidendum: notate illud barbari sophistae: iisdemque exagitata singularis in Phaleraeo dicendi laus effloruit: hinc Carneadis vis incredibilis illa dicendi, & varietas: hinc Ciceronis declamationes, & tot Oratorum Latinorum sunt institutae: hinc tam multi, tam nobiles Philosophi, & Oratores exiterunt: non enim pulcherrimae artis exercitationem institutis inanum praeceptorum clamoribus, sed in gravi rerum utilium disputatione, & ornata tractatione collocarunt: audiamus tandem aliquando, si quid ulla nos optimae rationi coniuncta movere debet autoritas, audiamus inquam Aristotelei, Platonem, Aristotelem, Theophrastum, Phaleraeum, Carneadem, Ciceronem, totam denique Graeciam, atque Italiam, quae beatis illis temporibus haec studia sapientiae & eloquentiae coniunxit, ad veterem illum sapientissimorum, & eloquentissimorum virorum morem Dialecticas exercitationes instituas: revocetur, quoniam Aristotelei esse vultis, Aristotelis consuetudo: sit Philosophiae, sit idem Eloquentiae magister: illa mane, haec vesperi eodem die doceatur: sit haec tandem Dialectica, quae vel scriptos hominum sensus, vel auditos interpretari: quae cum absentibus & posteritate scripto, cum praesentibus viva voce colloqui possit: conferamus itaque postremo loco (si placet) falsas Aristoteleorum tenebras cum vera, naturalique luce: illic est unica autoritas pro omni veritate: hinc unica veritas pro omni autoritate: illic commentationibus infinitis opinionum deliramenta cumulantur: hinc paucis monitis naturae iudicia notantur: illic & ars, & artis partes perpetua confusione dissipantur: hinc velut a capite deductis nervis partes omnes suis locis pro natura, usuque componuntur: illic duobus annis sophistica deliratio conturbatur: hinc duobus mensibus Dialectica naturalis explicatur: illic miserrima, & omnibus in rebus infelicissima mentis est afflictio: hinc iucundissima & omnibus in rebus explicandis utilissima est animi delectatio: illic bonarum literarum est oblivio: hinc confirmatio, & amplificatio: illic barbarismi, & soloecismi discuntur:

hinc omnis sermonis elegantia, puritasque percipitur: anteponatur igitur autoritati veritas, opinioni iudicium, confusioni dispositio, dispendio compendium, calamitati felicitas, sterilitati foecunditas, sordibus elegantia: his enim causis revocatis paria veteribus propediem, & fortasse maiora ingeniorum exempla videremus: Platones, Aristoteles, Theophrasti, Cicerones excitarentur: essent iterum tempora, quae olim fuerunt, & intelligeremus Dei (quae in patres illos, maioresque nostros fuit) eandem quoque in nos esse pietatem: sed ingrata, vel impia potius ignavia nostra est, quae divinam mavult accusare gratiam (quasi veteribus tribuerit aliquid, quod nobis deneget) quam fractam, & languidam sordidi, & tantam liberalitatem aspernantis animi negligentiam confiteri: plus enim sua sponte pollicetur, offert, praestat, quam non modo sperare, sed ne optare quidem audeamus: quamobrem ad eum convertamur, unde exorsus est etiam contentions nostrae,

*A te principium, tibi desinet.*

O Coelestis Sancte Pater, sempiterni, beatissimi-que luminis princeps, atque author, qui perpetuis ignibus clarissimam illam mundi lampadem sole, luna, caeterisque syderibus accendisti: ne patiare diutius hominum mentes lumine illo tuo divino privatas errare: te maximi beneficii tui cognitorem, & vindicem appello: accipimus abs te Dialecticae lucis usuram, hanc eandem per te retineamus: adiuva bonas hominum voluntates, malas converte, ut naturae suae restitutae immensam bonitatem tuam vehementius admirentur: te imploro, obtestorque, ut si in hac contentione, atque causa omnes mei labores ad utilitatem publicorum studiorum, dignitatem literarum, gloriam nominis tui spectaverunt: si nullam ad rem nisi ad pulcherrimae artis veritatem, omnes meae curae laborarunt, cogitationes evigilarunt, quae mea voluntas in hac disputatione suscipienda fuit, eadem sit hominum (qui haec legent) in cognoscenda, iudicandaque sententia: deinde uti Aristoteleum chaos (si omnes eius partes miserimis tenebris & commentis sunt involutae) ordine & veritate dissipetur: invidiam, malevolentiam, obrectationes, calumnias, maledicta, contumelias (quae fortium, & honestorum laborum praemia solent esse) non tam a me deprecor, quam lumen illud naturae tuae (quo illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum) accensum in studiis laudandarum literarum videre cupio. Quapropter hoc postremum optabo, ut vivus pulcherrimae virtuti, restitutam tua liberalitate, & gratia dignitatem gratulari possim, aut si vivo tantae gratulationis laetitiam fatalis quaedam generis humani calamitas eripuerit, animi certe nostri desideriiis beata, florensque posteritas perfruatur.

ANTONII GOVEANI

PRO ARISTOTELE RESPONSIO

ADVERSUS

PETRI RAMI

CALVMNIAS,

AD

IACOBVM SPIFAMIVM

GYMNASII PARISIENSIS

CANCELLARIVM.



IACOBO SPIFAMIO

REGIO CONSILIARIO, ET

GYMNASII PARISIENSIS

CANCELLARIO,

ANTONIUS GOVEANVS

S. P. D.



Contentionis huius, quam vel pro ARISTOTELE, quem ut caeteros omnes bonarum artium scriptores, cognitum diligenter babes, vel pro utilitate Gymnasii huius Parisiensis, cuius tua summa cura est, adversus PETRUM RAMVM suscepi, arbiter sumi melior quam tu nemo potest. Si enim autoritas in eo quaeritur, cuius exquiritur iudicium, summa tua est amplitudo, si in statuendo aequitas, tua est singularis, si causae intelligentia, Philosophiam, de qua nostra haec est contentio, adolescens primum universam perdidicisti, annos deinde permultos summa cum laude & hominum admiratione docuisti, princepsque in hoc gymnasium, vetere profligata barbarie, verissimum Philosophandi genus induxisti. Neque vero erit quisquam, qui quod tu in causa tam dilucida, statueris, non approbet, cum sciamus omnes in maximis & difficillimis controversiis diiudicandis quam cognita tua sit, spectataque sapientia. Quae si adversario forte suspecta erit, neque tam intelligente disceptatore & iudice uti volet, tum abs te pro singulari tuo erga literas studio, summaque in omnes humanitate petam, Cancellarie sapientissime, ut in contentione hac literaria adesse mihi advocatus velis: ne ad iustissimam causam defendendam nudus ab hominum praesidiis videar accessisse.

Vale Lutetiae Parisiorum. v. Cal. Decemb. [MDXLIII.]

# ANTONII GOVEANI

## PRO ARISTOTELE RESPONSIO

A D V E R S V S

P E T R I R A M I

C A L V M N I A S.

**N**ON minorem meo quidem iudicio laudem esse affecutus, PETRE RAME, si Aristotelem laudare, quam calumniari maluisses. Verum quando tibi alia mens, aliud iudicium fuit, tibi que concedi oportere existimasti, si in eum debaccharere, a quo non poteris negare, te didicisse, irasci mihi iure non potes, qui a te nihil didici, nulla que tibi verecundia sum obstrictus, si pro Aristotele, quem amo, quem admiror, cui debere plurimum volo, tuis calumniis respondeo: praesertim cum linguae tuae procacitatem imitaturus non sim. Ac ne tibi a me non satis responsum esse dicas, singulas optimi tui libri persequar sententias, ut facilius homines intelligant, quanti tuum de optimo autore iudicium fieri conveniat, qui in tuis ipse scriptis tam nihil adhibeas iudicii. Exordium igitur ducis a duobus illis eorum generibus, qui se ad Dialecticae studium contulerunt: *uni, inquis, veritatem ipsam investigarunt, & in ea sese utiliter exercuerunt, alteri unam auctoritatem sequuti ad aliorum iudicia suum accommodaverunt, exercitationis utilitate contempta.* Quid Aristotelem, RAME, in iis ne, an vero in illis numeras? In ea Philosophiae parte, quae de *ratione* est, eum vides desudasse, quam bene operam collocarit, aut quantum vero nos iuverit, nunc non disputo, ad hoc certe studium animum appulit & applicavit. Hunc si in quaerenda & exercenda veritate fuisse vis, non potest a me, qui eum adversus te defendo, magis proprie laudari. Sin tam misero ingenio Aristoteles fuit, ut ab aliorum auctoritate nulla umquam in re discedere ausus sit, cedo cuius? Platonis sui doctoris arbitror te responsurum: nullum enim habes alium, quem possis nominare. Primum igitur si ita maxime esset, quemadmodum dicis, si Platonis tanta apud eum auctoritas fuit, divinum tamen Philosophum, perfectum, ut tu vis, neque valde repugnante me, Dialecticum, doctorem discipulus sequutus est. Tum vero cum Platonem in isto tuo libro tam saepe, & tam valde, nunquam tamen satis, laudes, non video, qui eum sequutus per-

petuo sit, quomodo abs te satis constanter damnari possit. Verum ita non est, nam admirabili ingenii vi & uberrate cum esset Aristoteles, & invenit per se praeclare multa, de quibus ne cogitarat quidem Plato, & a magistro non una in re, quod te audisse puto, dissensit, gravissime autem in illa de *Ideis*, nobili & vexata quaestione. Tertium igitur tibi eorum faciendum genus fuit, qui se Dialecticae studio dediderunt, ne Aristotelem ab eo numero excluderes, in quo princeps a te debuit collocari. Incommodè, ita me Di ament, incommodè inquam, ne dicam stulte, in isto tuo libro exorsus es. Vide enim, quam varie in ipso statim limine offendis: divisionem primum mancã adfers, in quo eius artis, quam nos docere vis, oblitus videris: tum ne Latinis quidem verbis pessimam fucare sententiam potuisti. Apud quem enim bonum Latinitatis magistrum *LABORIOSE* positum pro *DILIGENTER* legisti? Aliter ac tu multo *M. TVLLIVS* in *oratione pro Roscio Comoedo* dixit, *Quo quisque est ingeniosior, hoc docet iracundius & laboriosius.* Aliter ipso *laboriosi* nomine usus idem *TVLLIVS* est *libro de finibus primo*, cum *Cn. Octavium*, qui articulorum maximis doloribus cruciabatur, *hominem appellavit laboriosissimum: & in Oratione pro M. Caelio*, cum *iudices laboriosos* dixit, quibus ne in communi quidem otio liceret esse otiosis. *TERENTIUS* ipse, cuius fabellae propter elegantiam scriptae a *Laelio* creduntur, *laboris* nomine paulo aliter usus in *Andria* est, atque tu nunc adverbio. *Eius labore*, inquit, *& dolore gnato ut medicarer tuo.* Verum pergamus, inveniemus caetera fortasse meliora. Artis Dialecticae inventionem ad *Prometheum*, philosophum antiquissimum, refers, uterisque ad eam rem *Platonis* testimonio, sane id quidem graviter: utinamque semper ita faceres: magis essent testata quae scribis. Verum quid erat opus tam veterem a te proferri memoriam? An id eo facis, ut iis, qui te ignorant, persuadeas alios te habuisse doctores praeter Aristotelem, unde artem istam discere potueris? cuius in praeclara illa *Dialectica* nihil ostendi potest non, aut surreptum si negas, aut desumptum si confiteris,

A CAESARIO, HEGENDORPHINO, TITELMANO, MELANCHTHONE, quos ego viros honoris non contumeliae causa nomino. Quin ne nostrum quidem de CONCLUSIONIBVS libellum, si verum fateri vis, neglexisti. Quae malum, RAME, barbara ista ingratitude est, nolle fateri per quos profeceris? An causa ulla est, cur ab Aristotele didicisse pudere quemquam debeat, nisi eum poeniteat quantum didicerit? Secundum Prometheum, Zenone Eleate antiquiorem, Dialecticae autorem nullum habes: qua in re testimonio uteris Aristotelis: quod in eo opere fieri minime convenit, in quo *veritatis hostis & impostor* Aristoteles vocetur. Quid enim stultius dici potest, quam postulare te a nobis, ut Aristoteli credamus, qui ei nihil te dicas credere? Ad Platonem longo sane intervallo venis: cui Dialecticam plus quam superioribus debere eo nomine vis, quod eam novis perpetuo laudibus afficiat, *reginamque omnium artium & imperatricem* vocet. Quid si a superioribus & inventa & literis mandata est, a Platone vero laudata modo? an Platoni tamen plus quam superioribus debebit Dialectica? O scriptorem prudentem! Quin ne illud quidem intelligis, quam Plato Dialecticam principem faciat artium omnium & scientiarum: non enim *disputatricem* hanc facultatem in tantum honorem ponit, sed eam scientiam, quam & *sapientiam & Theologiam* possumus appellare: de qua plura suo loco posterius dicam, cum ad tua in eam scientiam convitia respondebo. Neque vero quod sequitur dictum maiore a te prudentia est, *usque ad Platonem veram & incorruptam permansisse Dialecticam: inde turbari & corrumpi coeptam esse.* Videris enim mihi ignorare, tum incipere demum labi res & corrumpi, ubi maturitatem quandam suam assequutae sunt, & ad summum perfectionis gradum pervenerunt: in quo res nulla stare diu potest. Quare cum a Platone perfecta haec ars absolutaque non sit, vixque etiam tum ad suam, ut ita dicam, adolescentiam pervenisset, quomodo tam ante tempus, ante pene quam nata esset, labi & corrumpi coepit? At vero neque sententiis meliora tua verba sunt. Vnde enim illud tam *ἀκρῶν*, HACTENVS pro ADHVC? De tempore *hactenus* non dicitur, de re dicitur. Non possum certe risum abstinere, cum te video barbarum linguae foeditatem Aristoteleis nostri temporis obiicere, quam in te non potes excusare. Neque id tamen dico, quia me putem, quod proprium civis Romani est, consecutum, bene Latine ut loquar: non si quid tibi non tribuo, id mihi continuo assumo. Sed haec omitto: innumerabilia enim sunt: & mihi non tam propositum est docere, Latine te male loqui, quam male non de Aristotelis modo commentariis, verum de literis omnino sentire. *Corrumpi igitur post Platonem coepta est Dialecti-*

*ca: a quo tandem? ab Aristotele inquis: hoc est, ab eo, quem tu vivum confiteris morem investigandae veritatis antiquum retinuisse, & eius utilitatem, proposita perpetuae disputationis exercitatione, uberiores reddidisse.* Tua haec verba sunt, pro meis non utor: nunquam mihi in mentem veniet genus istud scribendi invidere tibi. Primum igitur, quo ore ab Aristotele corruptam esse Dialecticam dicere audes? an quo soles a te dicere restitutam? Tum vero quando corrupta? Vivus ais, & investigandae & exercendae veritatis morem retinuit. Quando ergo nisi post mortem corrupisse Dialecticam potuit Aristoteles? Simul & illud imperite & inscienter, quod Aristotelis in *exercenda iuventute consuetudinem antiquam* dicit, cum M. TULLIVS in *Oratore* ab *Aristotele* scribat institutam. Ac ne forte Ciceronis me auctoritatem putes ementiri, ipsius verba apponam, *Dicetur autem, inquit, non Peripateticorum more: est enim illorum exercitatio elegans iam inde ab Aristotele constituta, sed aliquanto nervosius.* Quae exercitatio cuiusmodi fuerit, scribit idem TULLIVS eodem volumine, & libro quinto de finibus iis verbis, *Ab Aristoteleque principe de singulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio est instituta, ut non contra omnia, sicut Arcesilas, & tamen ut in omnibus rebus, quicquid ex utraque parte dici posset, exprimeret.* Mortuus igitur Aristoteles, RAME, differendi rationem corruptit, perturbavit: facile id a te dici patior: quae ab Aristotele post mortem scripta sunt, non legi, non defendo: vivus quae scripsit, quae tu fortasse non legisti, ea defendo. Verum video, quid dicere volueris, non mortuum, sed in libris Aristotelem Dialecticam perturbasse. Quo tandem modo? an quia pro veris falsa tradiderit, an quia veritatem obscuritate aliqua involverit? Si pro veris falsa tradidit, nullius iudicii Ciceronem fuisse dicamus, qui suum Oratorem Aristotelis Dialectica institui voluerit, & *inito Topicorum ad Trebatium*, postquam rationem omnem differendi in partes duas tribuit, utriusque principem fecerit Aristotelem. Sin eius tibi obscuritas modo non probatur, non sat iusta & vera ea causa est, cur *impostorem* appelles: nisi forte circumveniri te ab eo putas, quem non intelligis. Neque tamen causa ulla est, cur doleas, aut vero mirere non intelligi a te Aristotelem, quin magis tibi mirum videri debeat, si intelligas. Tute enim optime scis, nunc nuper ad illius te lectionem animum adiunxisse, Graecae linguae ignarum profus ac rudem: utrumque hoc verum est: nullam tibi facio iniuriam: tum facerem, si quae in te sunt, non modo tibi detraherem, sed verbis vel obscurare niterer, vel elevare. Nullis igitur Graecarum literarum fultus praesidiis, Graecum Philosophum sine doctore attingere ausus es: quid mirum, si te a libris obscuritas reiecit? An nunquam



quam apud Ciceronem legeras, Aristotelem Philosophis iisque admodum paucis esse notum, in quibus haberi tu semper, quam esse maluisti? Crede mihi RAME, non perturbate Dialecticam tradit Aristoteles: studiorum rationem tu praevertere & perturbare voluisti. Erat tibi in animo Philosophum hunc cognoscere? Graecae tibi prius literae discendae, Dialecticae rudimenta quaedam praegustanda, doctor erat aliquis adhibendus: si ne ita quidem multum proficeres, tarditati tamen ingenii tui & stupori non scriptoris vitio ascriberes. Quod si Aristotelem, quod tibi videatur obscurior, Dialecticae corruptorem esse vis, quid de Stoicis dicas, qui post illum multa, quemadmodum scribit in Oratore CICERO, spinosiora in Dialectica praecepta pepererunt? Dialecticam igitur perturbavit Aristoteles: Dic mihi verum, hoc enim iam a te familiariter extra omnem contentionem quaero: intelligis ne, quam Aristoteles in Organo vocet Dialecticam? suspicatus ne unquam es, audisti denique? Nunquam arbitror: admonuisses enim nos de eo in eo libro, in quo Aristotelis Dialectica abs te reprehenditur. Disce igitur ex me, quoniam hoc primum discendi tempus nactus es, quam Aristoteles Dialecticam vocet, quamque id ratione faciat. Dialectica ea artis differendi pars Aristoteli est, quae nobis argumenta subministrat, quibus de proposita quaestione possimus in partem utramque probabiliter disputare: unde & propositio dicitur ab eo Dialectica, & Dialecticus item Syllogismus. Si vis vero etiam veram rationem exequi appellationis huius, Dialecticus a disputando nomen habet: quod rum proprie dicitur, cum in utramque partem, ut eluceat facilius veritas, differitur. Is autem qui Apodixi utitur, hoc est, quemadmodum QUINTILIANVS interpretatur, evidente probatione, ut CICERO autem libro de finibus quinto, necessaria Mathematicorum ratione, is inquam non tam disputare dicitur, quam docere. Hoc ergo tibi initio utendum fuit in eo libro, in quo propositum tibi erat Aristotelis damnare Dialecticam, ut persuadere hominibus posses, iudicio te facere quod faceres. Tuum igitur de Aristotele iudicium hoc est, *artem eum differendi contaminasse, foedasse, polluisse*: quid de Peripateticis familia doctissima sentias, quorum Aristoteles princeps fuit, audiamus. Pestem inquis Aristotelei ab illo suo principe acceptam sexcentis post annis ad extremum malum perduxerunt. Video equidem RAME, quos dicas, etsi non audes nominare: Alexandrum Aphrodisium dicis, Themistium, Simplicium, Ammonium, Ioannem Grammaticum, Eustratium, quantos deum immortalem Philosophos! Ante quos qui fuere Peripatetici, ut Theophrastus, ut Strato, innumerabilesque alii, nunquam enim huic disciplinae defensores & sectatores defuerunt, eadem qua iste peste fuerunt infecti, cum ab Ari-

stotele abfuerint propius: desertoque veteris investigationis & exercitationis studio contrariam viam sunt ingressi: in qua rebus sibi quoquo modo ab Aristotele traditis contenti melius nihil investigaverunt. Pudet me impudentiae tuae, miseret inscitiae: viam contrariam Academicis Peripatetici ingressi sunt? an non unum & idem in tertia hac Philosophiae parte & Academici & Peripatetici senserunt, praeterquam in paucis admodum quaestionibus, & si CICERONI credis, in una illa tantum de Ideis? Sic enim apud eum loquitur Varro, *Tertia deinde Philosophiae pars, quae erat in ratione & differendo, sic tractabatur ab utrisque, Quamquam oriretur a sensibus, tamen non esse iudicium veritatis in sensibus: mentem volebant rerum esse iudicem. Solam censebant idoneam, cui crederetur: quia sola cerneret id quod semper esset, & uniusmodi, & tale quale esset. Hanc illi ideam appellabant iam a PLATONE ita appellatam: & cum utrorumque decreta enumeravit, ponit ad extremum, qua in re a Platone dissenserit Aristoteles. Primus, inquit, Aristoteles species, de quibus ante dixi labefactavit, quas mirifice Plato fuerat amplexatus, ut in iis divinum quiddam esse diceret. Vides RAME, Peripateticos & Academicos nominibus differre, quemadmodum multis locis testatur M. TULLIVS, rebus autem congruere & consentire. In quorum disciplina quantus ornatus sit, apud eundem CICERONEM libro quinto de finibus iis verbis docet Piso. Et si hoc, inquit, fortasse non poterit sic abire, tamen audebo te (L. autem Ciceronem dicebat) ab hac Academia nova ad veterem illam vocare: in qua, ut dicere Antiochum audiebas, non ii soli numerantur, qui Academici vocantur Pseusippus, Xenocrates, Polemo, Crantor, caeterique, sed etiam Peripatetici veteres, quorum princeps Aristoteles: quem excepto Platone, haud scio an recte dixerim principem Philosophorum. Ad eos igitur converte te quaeso: ex eorum enim scriptis & institutis cum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere. Ab iis Imperatores, rerum publicarum Principes extiterunt: ut ad minora veniam, Mathematici, Poetae, Musici, Medici denique ex hac tanquam ex omnium artium officina profecti sunt. Iis apud Ciceronem verbis PISO L. Ciceronem adhortatur, ut ad veterem Academiam, in qua erant etiam Peripatetici, se convertat: quod mihi tu multo adhortandus es magis: praesertim cum non Arcesylam, non Carneadem, non Philonem sicut ille, sequere, sed unum te: te cum dico, hominem male sanum intelligo, quantum tua scripta dant existimandi copiam. Ut cum a Deo optimo pacem & veniam petis, mentis tibi fuerit magis optanda sanitas. Quomodo enim sanus is existimari potest, qui Aristotelem*

telem de *Natura* ne cogitasse quidem unquam asseverat? Non iam in te Philosophiae exquisitam quandam & elegantem intelligentiam requiro, cum Physicos ideam quandam praeceptionibus suis proponere ais, non sermonis puritatem & elegantiam, cum vim earum formarum, in quibus versantur Mathematici in genere quantitatum perspicere dicis, & virtutum actiones in animis hominum cognosci, & in naturalis sermonis puritate Grammaticas praeceptiones deprehendi: non haec inquam in te requiro: mentis sanitatem requiro: nihil Aristoteles de *natura* cogitavit? an ulla alia de re cogitavit magis? Ita ne te parasti RAME, ut impudentissime mentiendo luculentissimum ex omni memoria scriptorem insectare? Reprehendere Aristotelem & licuit aliis & tibi licebat: fecerunt ante te multi, ut magis quam tu, quemadmodum ego iudico, eruditi, ita minus intemperantes. Vide tamen quid inter te & illos intersit: tu quod vere non potes, summa tamen facis impudentia: illi quod vere, quod iudicio, timide tamen & religiose faciunt. Atque istud quidem quod ais *nullam Aristotelem de natura cogitationem suscepisse*, eo spectat, ut nullam in illius commentariis differendi artem esse probes: quod hac te argumentatione putas confecisse, *Ars Dialectica imago est naturalis Dialecticae: in commentariis autem Aristotelis nihil est ad naturae monitionem propositum, nihil si naturae veritatem spectes non confusum, non perturbatum, non contaminatum, non foedatum. Ars igitur Dialectica in commentariis Aristotelis nulla est.* Hoc firmamentum esse tuae contentiois vis, hoc quaestionis fundamentum, hanc summae & totam disputationem complectentis ratiocinationis intentionem: tua haec verba sunt, mea non facio. Quoniam igitur fundamentum hoc unum tuae contentiois est, qui hoc everterit, nonne is te de statu omni causae deiecerit & deturba-verit? Adeste ergo adolescentes omnes, quorum infirmis iudiciis has RAMVS infidias struit, cognoscite, animadvertite, quam facile firmissimum hoc illius fundamentum everto. Primum *Dialecticam* ullam *naturalem* dici nego, cum *Dialectica* ratio sit diligens differendi: diligenter autem differere nemo possit, qui naturam tantum sequitur ducem, neque adhibet artem. Aliud ars est, aliud natura: illa a natura ortum habet, natura ab arte perficitur. *Dialectica* artis nomen est, ad naturam quemadmodum queat transferri non video. Non quisquis Latine loquitur, *Grammaticus* statim censendus est, neque qui dicit, *orator*, ut neque qui disputat, *Dialecticus*, nisi id ex arte faciat: *Dialectica* igitur non naturalis *Dialecticae* imago est, sed ratio quaedam, qua ea vis, quae in animis nostris insita ad ratiocinandum est, excolitur: verum imago sit naturalis *Dialecticae*. Duabus in rebus poni a te video, naturalem istam tuam

*Dialecticam*, inventionem scilicet & iudicio: cuius utriusque partis principem *initio Topicorum* M. TVLLIVS, uti iam diximus, facit Aristotelem. Quomodo ergo naturalis *Dialecticae* imago nulla in eius libris est, qui & inveniendi argumenti vias, & iudicandi regulas ita tradidit diligenter, ut *rei utriusque princeps* dici a M. TVLLIO meruerit? Ac ne sine causa hunc ei a tanto viro honorem haberi putes, explicabo tibi paucis universam *Organi Aristotelici* rationem, ut tandem aliquando intelligas, non potuisse de tertia hac Philosophiae parte scientius aut exactius quidquam scribi, aut vero ratione faciliore ad docendum. Nam cum ars Logica ministra veluti quaedam & communis pedisequa sit omnium artium & scientiarum, in quibus ad veritatem omnia, nihil ad opinionem dici debet, Apodixi (quam a QVINTILIANO *evidentem probationem*, a CICERONE, *rationem necessariam* diximus appellari, nos dicere *demonstrationem* possumus) Apodixi inquam maxime eget is, qui artes & disciplinas tractare pro dignitate vult: ea enim una ex omnibus probationibus, veram in animis nostris rerum scientiam ingenerat. Prima igitur Logici cura illa esse debet, ut doceat, quae evidentis huius probationis quam dico, ratio sit. At quoniam opinio gradus quidam ad scientiam est, quemadmodum & ad ipsam veritatem probabilitas, explicanda quoque Logico est probabilis argumentationis ratio, quae ad hominum sensus & opiniones accommodatur: quam artis partem, sicuti antea diximus, peculiari nomine *Dialecticam* appellat Aristoteles: quasi Latine dicas *disputatricem*: modo enim ait, modo negat: utram ei quaestionis partem dederis, & constituere & evertere parata est. Quam facultatem qui est assequutus, dici non potest quanto ad veritatem inveniendam iter sibi reddiderit facilius. Verum ne falsis Sophistarum conclusionibus illusi eam quam quaerimus veritatem intueri non possimus, ad Logici curam aliquam spectat admonere, qua ratione eiusmodi captiunculae vitari queant. Cum igitur necessariam illam de qua dixi rationem Logicus sibi finem & veluti scopum proponat, eaque Syllogismus sit, de Syllogismo agendum ei prius est, cui de illa scribere aliquid propositum est. *Syllogismus* quia ex enunciationibus constat, quae earum inter ipsas ratio, intelligi necesse est, antequam ad Syllogismi constitutionem & compositionem veniatur. Enunciationum partes *nomina* sunt & *verba*, quorum vires, significationes, genera decem veluti classibus & ordinibus continentur: quas Aristoteles *κατηγορίας* appellavit. Longius quia regredi Logicus non potest, ab eo artem suam componere & coagmentare instituit, quod regrediendo a fine illo suo, ultimum invenit. Primum itaque docet, quae vis sit vocum simplicium, tum quae enunciationum ratio,

ratio, deinde quae Syllogismi constitutio, quarto loco quae necessariae & evidenter probationis, quam diximus posse *demonstrationem* appellari, ratio sit. Secundum quam probabilis argumentationis quosdam veluti locos tradit, unde in utramque partem erui omnis ad disputandum materia possit. Postremo adversus Sophistarum illusiones sese armat, ne qua a vero ratione abduci queat. Quae cum Aristoteles in *suis commentariis* tradat omnia, & hoc quem ostendi compositionis & progressionis ordine, tradat, non video, quomodo in eius libris nulla Dialecticae naturalis imago, nullaque adeo Dialectica ars sit. Eversum tuae causae fundamentum vides, nisi plane caecus es: Quid superest, nisi ut victum te fateare, manus des, ad mentem meliorem redeas: quod ego & futurum spero, & ut fiat opto: cum tua equidem, tum multorum bonorum adolescentum causa: de quibus si male mereri velles, non video quid aliud quam quod facis, faceres. Haec si tibi RAME, dico, ferre moleste non debes: meae enim, sicuti litteratorum omnium partes sunt, omnia dicere, facere, conari, providere, ne misera iuventus, quae propter aetatem neque videt satis, & consulit parum, decipi & deludi a quoquam possit. Exposui tibi quam potui brevissime universam *Organi Aristotelici* & rationem & sententiam: venio nunc ad partes singulas: in quibus non minus artis inesse ostendam, quam modo in totius operis descriptione demonstravi. Prius tamen, quoniam seriem orationis tuae sequor, pauca de *Termino & Dialecticorum furtis* respondebo. Nam *suppositiones & ampliationes* quas damnas, quia nunquam ipse didici, adversus te non defendo. Meorum studiorum cursus non incidit in illa tempora ingeniosa, quibus haec in scholis iuventus docebatur. Aristotelem doctore PELAGIO RODORICO, viro doctissimo populari meo, cognovi: publice postea ipse docui Graecis adhibitis interpretibus, quos tu superbe sane contemnis, ne dicam stulte: hunc defendo, pro hoc pugno: caetera quae patrum memoria spinosiora in Dialectica peperit, vobis, sanctissimi & doctissimi senes, defendenda relinquo: non est necesse me viventibus & spirantibus vobis vestrae causae suscipere patrocinium: neque vero, cum mihi nota non sit, possum. Sed de *Termino*, quem Aristoteles *ἄρον* vocavit, quid est quod dicis RAME, barbare ne locutum *Aristotelem*, qui *enunciationis extremum*, *ἄρον* appellavit, an nos qui *terminum* sumus interpretati? Si Aristotelem suam linguam docere vis, nae tu ridiculus homo es & ineptus, qui *Minervam* (ut est in proverbio) *sus docere vis*. Sin id non facis, neque barbare loquutum illum dicis, quomodo nos barbare, qui Graecum illud interpretari melius non possumus? At Latinis *terminus* agrorum finis est: fateor, & hoc ipsum Graecis *ἄρον*. Iam vero

quae ista sunt *Grammaticula Dialecticorum furtis* quae dicis? Dialectici ne a Grammaticis artis propria vocabula, an vero ab illis ii suffurantur? hoc ego posterius teneo, qui sciam Dialecticos ante Grammaticos fuisse. Nam si veterem memoriam diligenter revolvisti, invenisti profecto, nulla unquam in gente Grammaticos extitisse, nisi posteaquam lingua corrumpi & contaminari coepta est. QVINTILIANVS quidem cum de *Orationis partibus* scribit, *Aristotelem & Theodocem* in illis numerat, qui primi quot orationis & quae partes essent, tradiderunt. Quos cum Grammaticos non fuisse constet, & in eorum libris voces hae *homonyma & synonyma* reperiantur, quomodo haec Dialecticorum furtis esse ais, aut quomodo Grammaticorum non esse defendes? Tum vero videris mihi ignorare, alia esse quae Grammatici, alia quae Dialectici *synonyma* vocent: illis haec synonyma sunt, *Ensis, Gladius*, & quae omnino dicuntur pro eodem: Dialecticis vero ea, quae generis alicuius superioris & nomen & rationem communem habent. *Homonyma* equidem apud Grammaticos non legi: quae ab Aristotele *initio Categoriarum* video definita: ut tu, qui a nobis Grammaticos ignorari vis, neque Dialecticos neque vero Grammaticos legisse videare. Nunc quoniam de termino tibi & de Grammaticulis Dialecticorum furtis respondi, venio, quemadmodum constitueram, ad singulas *Organi Aristotelici* partes: quae a te ita distinguuntur, ut aliae ad inventionem, ad iudicium aliae, quaedam ad exercitationem referantur, vel ut tu loqueris, *ad omnium harum rerum confusionem*. Inventioni *Categoriae & septem primos Topicorum* libros das: iudicio librum illum de *Interpretatione & Analytica* tum priora tum posteriora: exercitationi *octavum Topicorum librum & duos illos Elenchorum Sophisticorum*. Sic igitur a te divisi Aristotelis libri, sic distincti sunt, ut ab eo, qui nunquam eos legisset, distingui dividique potuerunt. Primum enim unde habes in *Categoriis* inventionem contineri? Dices a QVINTILIANO. Audio: sed citetur locus. *Libri tertii capite septimo* iis verbis scriptum est, *Ac primum Aristoteles elementa decem constituit, circa quae videatur versari omnis quaestio: ἄρον, quam Flavius essentiam vocat: nec sane aliud eius est nomen Latinum. Sed ea quaeritur an sit. Qualitatem, cuius apertus intellectus est. Quantitatem, quae dupliciter a posterioribus divisa est: quam magnum, & quam multum sit, Ad aliquid, unde ductae translatio & comparatio. Post haec Vbi, & Quando: deinde Facere, Pati, Habere, quod est quasi armatum esse, & vestitum esse: novissime κείσθαι, quod est compositum esse quodammodo, ut calefacere, stare, irasci. Sed ex iis omnibus prima quatuor ad status pertinere, caetera ad quosdam locos argumentorum videntur. Vides QVINTILIANVM dicere, libri meliorem*

rem partem videri sibi non ad *inventionem* sed ad *status* pertinere: in quo si ei fidem non habes, cur illi ego alterum illud credam, *reliqua sex ad argumentorum locos pertinere*? Quid ergo? a me Quintilianus reprehenditur? minime: sed hoc dico, quamvis quatuor prima elementa ad status accommodari possint, & ad inventionem postrema sex, tamen Aristotelem neque materiam ullam quaestionum, neque inventionis locos tradere hoc libro voluisse. Quid ergo? vocum simplicium genera, significationes, vires: neque enim fieri potest, proprie ut is unquam loquatur, in quo maxime Dialecticus elaborat, qui quid quaeque dictio valeat, non intelligit. Quamobrem M. TULLIUS in *Oratore* eum censet, qui eloquentiae laude ducatur, non esse Dialecticae omnino rudem: sed vel hac Aristotelis, vel illa Chrysippi Dialectica institutum cognoscere primum vim, naturam, genera verborum, tam simplicium quam collocatorum. Huc igitur spectavit, hoc egit Aristoteles, ut omnium dictionum quaedam nobis genera & veluti capita proponeret, ad quae earum significationes referrentur, & unde omnium pronunciatorum sumi materia posset. Vbi enim intellexi, hominem *essentiam* significare, lineam *quantitatem*, colorem *qualitatem*, enunciationes continuo has compono & construo, *Homo essentia est, Linea quantitas, color qualitas*. Sequitur liber *περὶ ἑρμηνείας*, Latine *de interpretatione* dicere potes: hunc tu ad iudicium pertinere iudicas: neque dicis, quamobrem ita iudices. Si existimas, quoniam enuntiatio pars syllogismi sit, in quo vis iudicandi omnis sita est, librum ideo hunc ad iudicium pertinere, ad tuam sententiam meam quoque adscribas licet: sin quid aliud causae esse putas, quamobrem ad iudicium pertineat, vide ne fallare. *Analytica* ad eandem iudicii partem refert. Priora sane bene: posteriora quomodo ad iudicium pertinere defendes? Nam si priora ad iudicium referimus, quia omnis concludendi syllogismi ratio via certissima, & regula verissima iudicandi in iis libris continetur, cum in posterioribus aliud nihil doceat Aristoteles, quam quae necessariae probationis, intelligis me *Apodixin* dicere, materia sit, quibus constet momentis, cuiusmodi pronuntiatis, ad omnem ne rem adhiberi possit, & huius generis alia, quae ad rationem colligendi nihil pertinent, non tam *iis libris* iudicandi regulas tradere Aristoteles videtur, quam ostendere evidentis probationis quale esse debeat instrumentum. Quod ut plane intelligatur, quemadmodum a me dicitur, exponendum necessario videtur, quod ego iudicium differendi rationis partem esse putem. Omnium artium & scientiarum summa haec divisio est, ut aliae ad actionem, ad cognitionem aliae referantur: in illis quid bonum & quid item malum, in iis quid verum & quid falsum sit, quaeritur: quod

nisi ratiocinatione iudicare sine errore non potest. Nam cum omne verum & omne item falsum in pronunciato sit, in quo aut hoc esse illud, aut non esse dicitur, qui scire vult ita ne in re sit, quemadmodum oratione pronunciat, tertium ei aliquod, sive ut Aristoteles vocat, *medium* videndum est: quod si cum ambobus iis, de quibus quaeritur, congruat & conveniat, veram affirmationem esse: sin cum uno tantum, veram esse negantiam pronunciat. Exempli causa, proponat quis, *sit ne ea uxor, quae usu habetur, concubina*: si quidem iudicare de proposito velim, inveniendum tertium aliquod est, & ex argumentandi locis eruendum. Invenio *Matrimonium*: quod & cum uxore ea, quae usu habetur, esse video, & cum concubina non esse. Colligo itaque nihil haesitans, *uxorem, quae usu habetur, non esse concubinam*. Invenio praeterea *pretium*. Video concubinam pretium accipere, uxorem non accipere, concludo *uxorem non esse concubinam*. Haec syllogismi vis, haec efficientia est: quae in ratione connectendae & colligendae argumentationis & quadam veluti forma posita omnis est. Quam cum in *prioribus Analyticis* docuisset Aristoteles, quid erat, quamobrem in *posterioribus* repeteret? Quod si hac de causa iudicium in iis libris tradi vis, quia de *Demonstratione* sint, qua veritas rerum maxime & invenitur & iudicatur: evidens enim & necessaria probatio demonstratio est, solaque ex omnibus efficit, uti certo rem cognoscamus, non modo tecum non pugno, verumetiam vehementer laudo ingenium tuum, qui hoc tam excogitaris commode. Sed nimis te facio ingeniosum, nimis artis huius intelligentem: tu enim ne suspicatus quidem hoc unquam es. Venio ad *octavum Topicorum librum*, quem tu ad *exercitationem* pertinere vis: credo, quod dispositionem Dialecticam contineat. In quo illud abs te mihi responderi vellem, cum primi septem inventionem argumenti ostendant, cur non omnes putes ad *exercitationem* pertinere. An magis ad *exercitationem* conferre iudicas dispositionem argumenti, quam inventionem? Aristoteles quemadmodum antea dixi, de generis quaestionibus adolescentes in utramque partem dicere iubebat: quae exercitatio nulla mihi re tam egere videtur, quam argumentorum locis. Vides igitur in distinctione librorum Aristotelis te nihil vidisse: in reprehensione quantum videris, mecum nunc si placet considera. In quam antequam ingredere, quia PORPHYRIUM servum *Aristotelis*, ut tu ais, *atriensem salutare* voluisti, pauca tibi initio pro atriensi isto servo respondebo: cuius tibi institutio ideo non probatur, quod in ea non *plena inventio*, sed *quinque* tantum *vocabula* explicentur: quod minime sit necessaria, quod falsa plurima, vana plura & stulta contineat: quod nihil in ea nisi alieno & distorto tradatur modo. Ad primum illud sic habeto, Porphyrium

rium de tradenda inventionem nunquam cogitasse: ut reprehendi non possit, quod perfectam non tradiderit: sed voluisse tantum exponere, quemadmodum quinque illae notae voces intelligendae essent. Nam cum ad hanc artem integrum ac rudem discipulum Chrysaorium accepisset, illique initio Aristotelis *Categorias* tradere in manus constituisset, quae sine vocum harum quinque intelligentia *generis* dico, *speciei*, *differentiae*, *proprii*, & *accidentis*, intelligi facile non possunt, lectioni Aristotelis haec Porphyrio institutio fuit praemunienda necessario. In qua quae docentur, quanquam e *primo Topicorum* Aristotelis libro sumi poterant, tamen neque omnia poterant, neque librorum Aristotelis ordinem praevertere commodum Porphyrio fuit, pluribusque clarioribus verbis tradi illa rudi discipulo debebant, quam erant ab Aristotele explicata. Iam vero positas a servo isto atriensi, lubenter enim tuis verbis utor, vocum harum explicationes non video, quo iudicio reprehendas. *Genus*, inquis, *non id solum est quod de pluribus forma differentibus, sed quicquid omnino de pluribus enunciat: Species non id tantum, quod Porphyrio videtur, sed id omne quod sub re aliqua universa ponitur: ut & homo genus Socratis sit, & Socrates hominis species. Differentiam formam rei definis, & eam causam propter quam res est, id quod est. Accidentis quod cum adest abestve, subiectum nihil immutat. Proprii definitionem relinquis, quam non secus atque superiores emendare & corrigere debuisti, & potuisti certe facilius. Nam accidentis definitionem, ut a postrema ordiar, quomodo emendas? Accidentis id esse Porphyrius vult, quod accedit, & recedit, ut subiectum salvum incolumaque permaneat, tu, quod subiectum nihil immutat, cum adest abestve. Dic quaeso mihi, quod e sicco humidum, e frigido calidum fit, nullam ne accipit mutationem? an ubi motus est, ibi potest non esse mutatio? Quod si subiectum ideo non mutari dicis, quia non intereat, non video, quid inter tuam & Porphyrii definitionem intersit, nisi quod tua obscurior multo est quam illius. Proxima differentia est (*proprium enim, quemadmodum antea dixi, non attigisti*) quam cum Porphyrius definisset eam notionem, quae de pluribus iisque specie differentibus, cum quaeritur qualia ea sint, enunciat, tu formam rei & eam causam propter quam res est id quod est, esse dixisti: vere id quidem, sed valde Physice, magis ille apte & accommodate ad Logicam rationem: cuius se in institutione hac memorem futurum in *prooemio* ostenderat. Nam cum Logica ars quaedam sermonis sit, id maxime semper spectat, quam aliud de alio ratione enuncietur, eoque suas potissimum definitiones accommodat. Quod si tu unquam cogitasses, positam a Porphyrio definitionem immutare ausus non esses. Quin etiam quaeris*

a nobis, cur generi tantum differentiam attribuamus: hoc est (ut tua verba interpreter, sunt enim sane obscura) quamobrem differentiam ita definiamus, ac si nulla sit formarum propria infimarum, sed non secus atque genera de pluribus omnes formis enuncientur. Non est difficile respondere tibi rem praesertim quaerenti minime obscuram, & in scholis valde agitatam. Quamvis enim dari differentia possit, quae de una tantum specie dicatur, tamen ea natura differentiae est, ut possit multarum esse formarum differentia. Quod ut facilius intelligas, utar exemplo. Sit ratio propria hominis differentia, quemadmodum sensus est animalis: si tamen species homini des, in quas dividatur, illarum quoque erit ratio differentia: quae enim superiorum differentiae sunt, sunt & inferiorum quoque. Sensus namque, ut ab eo quod posui non discedam, non animalis modo, sed & hominis & bruti differentia est. Id quod in *proprio* fieri minime potest: nec enim si quid hominis proprium est, proprium continuo eorum est, quae sub homine continentur. Habes de differentia: ad *genus* & *speciem* veniamus. *Genus* omne id esse vis, quod dici de pluribus possit, ita ut homo genus sit hominum singulorum, singuli autem ipsi homines, hominis sint species. Itera, quaeso, eadem ista mihi: non enim plane exaudivi. Quid ais RAME? *Plato hominis species est, homo autem Platonis genus?* Nulla igitur formae infimae erunt praeter res singulas & individuas, quando homo non forma infima, sed genus est. Quid ergo Plato, quem perfectum esse vis Dialecticum, neque id, quemadmodum iam ante posui, repugnante me, *orationem quae a generibus summis ad imas species erat devoluta, sistere & quiescere volebat, neque descendere ad individuas res, quae & infinitae essent, & nulla possent scientia comprehendi.* Platonis praeceptum hoc est, negare non potes. Quiescere in formis imis orationem iubet Plato, vetat ad res singulas descendere. Non ergo res singulae Platoni formae sunt: cuius nomen cum tu stultitiae tuae velis praetexere, ne illud quidem tibi in mentem venit, Porphyrium, Platonicum philosophum, condiscipulum tuum, non debere a te tam graviter reprehendi. Verum id tuo arbitratu: illud mihi rursus quaeso dic, *res individua forma est; Notio igitur est.* Sic enim formam video a M. TVLLIO in *Topicis* definitam *Notionem*, cuius differentia ad *genus* refertur. *Notionem* autem TVLLIVS vocat, ne tibi aenigmata loqui videar, quam Graeci tum *ἐννοίαν*, tum *πρόληψιν* appellant. Ea est insita a natura in animis nostris & ante percepta cuiusque formae non satis explicata, ideoque enodationis indigens, cognitio: quas certe nullas in animis nostris rerum singularum impressit & inchoavit natura: neque enim ut hominis ita & Socratis notio ante & intelligentia percipitur.

Quod te pluribus docere opus non est: nec enim tam te amentem esse puto, ut non sentias, *quarum rerum intelligentias scientiae omnis fundamenta*, ut scribit idem TVLLIVS in *legibus*, in *animo tuo instituerit & collocarit natura*. Neque te illud movere debuit, quod *hominem* non dicamus *Socratis esse speciem*, sed *Socratem contra hominis*: cum enim hoc dicimus, quod saepe in iure Civili dicimus, speciem pro eo sumimus, quod minus est universum, & quaedam veluti alterius pars, quod a RODOLPHO AGRICOLA notatum vides: & ut isto modo non loquamur, *homo species Socratis est*, quia scilicet species generis tantum species esse dicatur, hoc certe modo loquimur, Socratem sub humana specie contineri. Venio ad *genus*, quod tu ais, necesse non esse de pluribus dici formis, seu, quod idem est, de pluribus forma differentibus: cum tamen M. TVLLIVS genus in *Topicis* definiat *Eam notionem, quae ad plures pertinet differentias*. Verum delusus ab Aristotele Cicero fuerit, quoniam tu ita quodam loco libri optimi tui scribis: ut & illum impostorem, & hunc stolidum facias, qui se deludi passus sit. Verum delusus fuerit: quid? omnis ne notio generis est? nihil ne interest inter hominis & animalis intelligentiam? Equidem cum hominem intelligo, naturam quandam intelligo, quae in pluribus quidem sit, sed in quae tamen una valeat definitio, Animalis autem notio ita una est, ut naturas diversas distantesque contineat, ad quas explicandas variae sint adhibendae explicationes: neque enim animalia omnia tantam inter se naturae habent coniunctionem, quantam omnes inter se homines: *nihil est enim unum uni tam simile*, ut in *Legibus* scribit TVLLIVS, *nihil tam par, quam omnes inter nosmetipsos sumus*. Vides igitur eandem non esse formae & generis notionem: quam tamen eandem esse necesse fit, si genus ad plures non pertineat differentias. Respondi tibi ad eas rationes, quas in damnando Porphyrio sequutus es: ad convitia quae sunt in Platonicum philosophum, falso enim *Peripateticum* facis, coniecta a te innumera, respondere neque libet, neque vero est necesse: tempus iam est, ut liberato a tuis calumniis Aristotelis, quemadmodum tu vis, fervo, ad dominum liberandum accedamus. Primus Aristotelis liber est *κατηγοριαι*: in quo reprehendendo, non tam correctorem quam minimum, non tam accusatorem quam importunum calumniatorem & improbum convitiatorem agis: quem librum quoniam in tria capita video tributum, totidem ego partes defensionis huius meae faciam. Primum itaque tibi respondebo ad ea, quae e *primo capite* calumniaris: *Synonyma, Homonyma, complexa, incomplexa*, grammaticula Dialecticorum furta esse vis: *Paronyma* quae appellare *cognominata* possumus, in locum proprium remittis, quem eis inter argu-

mentorum locos assignas: regulas duas, quas tu facie formidabili esse dicis, quarum haec altera est, *Cum aliquid de alio, ut de subiecto dicitur, quaecunque de illo dicuntur, dici de subiecto quoque necesse est*: haec altera, *Generum diversorum, quorum alterum sub altero non ponitur, & species differentias esse diversas*, has inquam regulas duas nullum habere usum contendis. De *Synonymis & Homonymis* illud iam supra docui, furta non esse grammaticula: cur hoc loco ab Aristotele proponantur, credo te nihil audivisse: non enim dubito, quin tibi causa probaretur: eam igitur de me nunc si placet audi. Cum Aristoteles, quemadmodum antea iam diximus, vocum omnium genera summa & capita tradere hoc libro instituisset, ea praemunire debuit quae in reducendis ad suum genus vocibus magno nobis usui & adiumento esse possent: qualia *synonyma* sunt & *homonyma*. Dubitandum enim non est, quin in eodem reponenda genere sint, quorum & nomen idem est, & eadem ratio: quorum autem nomen idem, non continuo illa in eodem erunt genere reponenda: eademque de causa paronyma five cognominata praemisit: quia scilicet quo in genere unum, in eo alterum quoque ponitur: ut si in qualitate (iam enim nomen hoc *qualitatis* Latinum fecit M. TVLLIVS) iustitia sit, in qualitate quoque sit iustus. Regulae autem prioris usus hic est, ut si hominem sub animali esse constet, cum animal essentiam esse sciamus, non dubitemus, hominem in essentiae genere collocare. Posterioris vero ecquis extra te unum est, qui dubitet, quam sit usus necessarius, cum agitur de assignandis suis cuique generi formis, & vocum omnium ordinibus faciendis? At quid opus, inquis, erat haec ab Aristotele poni, quae dubitationis nihil habeant? Quasi vero quae aut addubitando aut negando stulti videamur, ea tradendo inepti continuo simus, & in quavis arte non optima eae sint regulae, quae minimum dubitationis habeant. Nihil tam evidens est, nihil tam confessum quam illa sunt Mathematicorum pronunciata, *totum maius esse parte, si a paribus demas paria, paria esse quae relinquuntur*: nihil minus dubium, quam primae Philosophiae principium illud, cuius in omni disciplina, in omni denique sermone usus maximus est, *de re quavis vere aut affirmari aut negari*. Hoc regulae, hoc principii proprium maxime est, ut ipsum sibi faciat fidem, simplicisque tantum admonitionis, nullius exquisitae rationis indigeat, ut credatur. Venio ad ultimum caput (sequor enim ordinem libri tui, mox ad secundum regrediar) in quo cum paucula quaedam exposuerit Aristoteles, ut e secundo capite quaedam apertius intelligerentur, non video, cur reprehendi debeat, ac non potius magna ei haberi gratia, qui nobis laborem minuere studuerit. Meminerat, cum de *essentia*,  
quan-

quantitate, qualitate ageret, contrariorum (sic M. TVLLIVS interpretatur ἀντιθέμενα) cum essentiam diceret essentiae non esse oppositam, & posse eam contrarias recipere affectiones: quanto quantum non opponi: magnum parvum, multum paucum, relata non opposita esse: oppositionem in qualitatis genere reperiri: an non necesse pene fuit, quot & quae contrariorum essent genera docere? An cum de relatis agens dixisset, neutrum altero esse prius, sed esse utrumque natura simul, facere aliqua ratione poterat, quin exponeret & quibus modis aliud prius alio, quibusque item aliqua simul esse dicantur? An cum habere, quod est quasi armatum esse, & vestitum esse, genus unum fecisset e decem, dissimulare poterat, quam id varie diceretur? postremo, cum Facere & Pati duo genera fecisset, utrumque autem motus esset, qui poterat motus species silentio praeterire? Sero RAME, ac nimium quidem sero, ut dicam levissime, rationem docendi Aristotelis damnas: qui omnium hominum iudicio laudatus hoc maxime nomine est, quod artifex summus esset docendi. Tertium restat ex hoc libro caput: in quo quis non videat, te nihil habere non modo quod reprehendas, sed ne quod calumniari quidem possis? Non fat ample & copiose Aristoteles de *Categoriis* tibi scribere videtur: qui omnia genera, omnes omnium rerum formas, omnes differentias, naturam denique omnem hoc uno libello non concluderit: cum *praedicamentum* (utar tuo verbo) nihil sit aliud, quam ordo rerum per genera species & differentias compositus. Simplex haec reprehensio varie a te & multis verbis tractatur: cui ego paucissimis respondebo. Nego RAME, Aristotelem aliud hoc libro docere voluisse, quam *dictionum vires & significationes*: quae omnes aut essentiam, aut quantitatem, significant, aut qualitatem, aut quae cum aliquo comparantur, ut duplum, ut simplum, aut ubi, aut compositum esse, aut habere, aut facere, aut pati. Quas decem *Categorias*, non enim ordo rerum, ut tu dicis, sed capita haec decem & genera, quia semper, atque ita dicuntur, ut de illis nihil dici queat, *Categoriae* appellantur: has ergo *Categorias*, haec vocum omnium summa genera, cum ita explicarit Aristoteles, ut intelligi possint, suo satisfecit instituto. Illud praeterea reprehendis, quod eorum, quae cum aliquo comparantur (Aristoteles τὰ πρὸς τι appellat) locis duobus meminerit: neque te satis quamobrem id fecerit, videre ais: quamquam rei huius causam vel per te excogitare facile, vel ab alio discere potuisti, nisi turpiter ignorare maluisses. Quis enim hoc non videt praeter te τὰ πρὸς τι, neque cum *Categoriae* explicantur, neque cum genera contrariorum enumerantur, posse praeteriri? Hoc tu RAME, cum te non vidisse dicas, quid caeteris in rebus quae reconditae magis sunt, vi-

dere potueris, suspicari non possum. Respondi de *Categoriis*: venio nunc tecum ad *Topica*: sic enim tenebras Aristotelis universas partitus es, ut inventionis Chaos *Categoriis* & *Topicis* attribueres: in quibus omnia quaecunque insunt vitia, si persequare, vereris ne in molestam & tibi & nobis contentionem incidas. Quare de tam varia & multiplici caligine duo maxima peccata profers: e quorum aestimatione fieri de caeteris iudicium possit: alterum quod ex omni quaestionum genere quatuor sophisticas selegerit Aristoteles, in quibus *Dialectica* vociferaretur: alterum quod in illis ipsis quaestionibus iidem loci centies sint pueriliter inculcati: In quo RODOLPHI AGRICOLAE monitoris tui, doctoris dicere non audeo, ne tu mihi irascere, nomen, cuius hoc utrumque inventum est, non debuisti tam illiberaliter suppressere. Sed neque illi neque tibi respondere difficile puto. Primum enim argumentorum quosdam veluti locos volens Aristoteles tradere, idque facere non confuse, eos quaestionibus ad quas adhibentur, distinxit. Non potuit mea quidem sententia res tam multiplex ratione meliore tradi, quam si quaestioni cuique sui attribuerentur loci. Quamobrem constituenda illi fuerunt quaestionum genera quaedam, non omnium tamen, sed earum duntaxat, quibus uti in disciplinis solemus: quae quidem quatuor omnino sunt: in omni siquidem quaestione aut *accidens*, aut *genus*, aut *proprium*, aut *definitio* quaeritur: differentia enim quae relicta & praetermissa videtur, quia, uti superius dixi, generis naturam imitatur, a genere non seiungitur: speciei autem quaestio a disciplinis prorsus est aliena: cum species nisi de rebus singularis, dici non possit: de quibus quaestio ideo nulla instituitur, quia nulla earum rerum scientia esse potest, quae & certo numero non sunt, & natura fluxae sunt & caducae. Quatuor autem duntaxat esse quaestionum omnium genera ex eo intelligi potest, quod quicquid de alio quaeritur, id aut par, aut superius eo est quo de quaeritur: neque enim de superiore dici inferius convenit. Si superius ac magis est universum, aut in natura eius est de quo quaeritur, ut illius aut genus sit, aut differentia, aut vero accidens eius aliquod. Sin par vero est, aut proprium, aut definitio: ut aliae quaestiones extra has reperiri omnino nullae possint. Verum hae quaestiones duobus fieri modis possunt: vel enim quaerimus *sitne homo animal*, vel, *sitne animal hominis genus*, atque item caetera: *sitne candor accidens oloris*, vel, *sitne olor candidus*: *sitne hominis proprium capacem esse doctrinae*, vel, *sitne homo doctrinae capax*: *sitne animal rationis particeps mortale hominis ratio & definitio*, vel, *sitne homo tale animal*. Quare ad utrumque quaerendi genus loci ab Aristotele traduntur: ita ut qui simplicium quaestionum sunt,

sunt, hoc est, earum in quibus *insitne hoc illi, non insitne* ut genus, aut ut reliquorum trium dictorum aliud, (*dicta* voco quae Aristoteles *κατηγορούμενα*) cum Accidentis tradantur locis. Cum enim sic quaerimus, *sitne homo animal*, id quaerere duntaxat videmur, *insitne hoc in illo*, quemadmodum cum rogamus *sitne candor oloris accidens*, id tantum quaeri videtur, *insitne in olore candor*. Habes de generibus quatuor quaestionum. Quod iidem autem loci subinde repetantur, mirum nemini videri debet: cum iidem loci ad varias quaestiones accommodentur. In coniectura valent causae, valent & effecta, quae ad definitionis quoque quaestiones adhibentur. Apud CICERONEM in *Topicis* scriptum iis verbis est, *Omnes quidem loci, quos supra scripsi, ad plerasque sunt quaestiones, sed alii ad alias aptiores*. Delicatorum hominum, ne dicam ineptorum haec RAME, reprehensio est, a quibus Aristoteles legi non vult: quod ille in scribendo fastidium pertulit, cum eadem repetere subinde cogeretur, id a nobis in legendo perferri aequum est: quod si aut non possumus, aut nolumus, non satis digni videmur, quorum ille causa tantopere laborarit. Respondi tibi quam potui brevissime ad duas illas AGRICOLAE reprehensiones, quas tu tamen facere voluisti tuas: ad illud quod oratorie credo dicis, ideo te non persecuturum horum librorum vitia omnia, ne nobis molestus sis, quid ego respondeam, nisi ex eo nos intelligere nulla esse, unde tu intelligi volueris esse plurima? Quod ut magis credamus ita esse, M. TULLII autoritate adducimur, qui, si idem de iis libris quod tu, iudicasset, nunquam eorum sententiam Trebatio tradidisset: neque Ciceronem Aristotelis hac in parte interpretem Quintilianus, vir acerrimi iudicii, annis multis post in tradendis locis sequutus esset. Citius autem te truncum, stipitem, caudicem factum e RAMO credemus, quam tales viros ab Aristotele tam turpiter, quam tu ais, esse delusos. Haecenus, PETRE RAME, nihil te vides animadvertisse, unde non potius tu praestigiator, impostor, archisophista, veterator, pestis nostrorum studiorum iudicari debeas, quam is, cui tu honorem hunc verborum tribuisti. Sequuntur animadversiones tuae in librum *περὶ ἑρμηνείας*, hoc est, *de interpretatione*, sive *de enunciatione, pronunciatione, pronunciato*: iis enim omnibus nominibus interpretari Graecum illud possumus. Hunc tu libellum mirifica fatuitatis illusionem implicatum esse vis: esseque in eo exceptis contradictionibus, iisque perturbatis, Dialecticum nihil: ego contra nihil esse non artis huius proprium contendo. Nam cum in eo non id agat Aristoteles, nos ut doceat recte Graece aut scribere aut loqui, quas duas artis suae partes faciunt Grammatici, sed tantum quae enunciationum genera sint, quae earum inter ipsas ratio, quid quaeso Grammaticum in

hoc volumine esse potest, aut non eius artis proprium, quae vera & falsa diiudicandi regulas tradit? Adeste obsecro Grammatici omnes quotquot estis, & ubicumque estis: de vestris enim finibus, de vestris possessionibus, de vestro iure agitur: dubium mihi non est, quin vobis disceptatoribus causam hanc adversus istum obtineam, qui se vestrum patronum & defensorem dici vult. Quaeso quaenam ista sunt, quae in vestris libris traditis? quae istius artis quam profitemini vis est? An est aliud quod docetis, quam quemadmodum & scribere & loqui emendate possumus, ex eorum autoritate, qui utrumque optime fecisse iudicantur? Hoc vestrum munus est, haec artis vestrae vis, quod idem vos video in vestris libris dicere. Si quis igitur vos roget *sitne enunciatio haec, Actio omnis de dolo famosa est*, contraria illius, *Actio de dolo nulla famosa est*: item, *sitne enunciationis eius, quae de re futura, eademque non necessaria, est*, cuiusmodi haec est, *Cras te apud praetorem lege Julia repetundarum postulabo*, *sitne*, inquam, certa talium enunciationum veritas, an vero ab eventu pendeat: item enunciationum harum quae ratio inter ipsas sit,

*Homo iustus est,*

*Homo non iustus est*

*Homo iniustus est.*

Quarum prima illa *simplex*, quae sequitur *infinita*, postrema *privans* dici potest. Si quis praeterea audire de vobis velit, an *si qua duo dici de aliquo separatim vere possint, dicantur ea quoque vere coniunctim*, tum illa quoque discere cupiat, in modorum enunciationibus unde spectetur *affirmatio*, & *sitne enunciationes hae contrariae*,

*Cicero vir magni animi fuit*

*Cicero parvi animi vir fuit:*

an vero hae,

*Cicero magni animi vir fuit*

*Cicero vir magni animi non fuit.*

Siquis, inquam, haec de vobis audire velit, quid respondeatis, nisi quod vere potestis, vos haec non nosse, non curare, non docere, id unum scire, Latine male haec non dici,

*Actio omnis de dolo famosa est.*

*Actio nulla de dolo famosa est.*

*Cras te apud Praetorem lege Julia repetundarum postulabo,*

*Homo iustus est,*

*Homo est non iustus,*

*Homo est iniustus,*

*Petrus Ramus bonus est, & Dialecticus est,*

*Petrus Ramus bonus Dialecticus est,*

*Homo necessario animal est,*

*Homo non necessario animal est,*

*Cicero vir animi magni fuit,*

*Cicero vir animi magni non fuit,*

*Cicero parvi vir animi fuit,*

Haec, inquam, Latine male non dici: ita veteres illos loquutos, qui Latine optime loquebantur.



bantur. Cum ergo in isto libro nihil extra haec doceat Aristoteles, quid hic quaeso est, optimi Grammatici, quod PETRVS RAMVS possit vestro nomine vindicare? Intellego quid dicatis, istum hominem quia sine mandato vestro agat, quia vestri iuris defensor non sit a vobis constitutus, causam ad eum vestram nullam deruleritis, quia patronus denique vester non sit, si vestro nomine quid repetat, non modo non audiendum esse, verum etiam poenam ei gravissimam ut Sycophantae improbissimo infligendam. Vos Dialecticis ut dignitate, ita tempore esse posteriores, non modo ea vos ad vestrum iudicium non revocare, quae illorum propria sunt: verum etiam confiteri ingenue, multas vos ab illis definitiones ut *nominis*, ut *verbi*, ut *orationis*, utendas accepisse, neque vestras facere. Haec RAME, cum Grammaticos uno omnes ore dicere audias, quae haec iniustitia est, aut quae potius improbitas, non modo Dialecticis adimere quae eorum sunt, verum etiam velle Grammaticos cogere ut accipiant, & tanquam sua agnoscant? Verum diutius forte hoc in loco immoror: accedendum est ad reliquas reprehensiones. *Contradictioni* falsas species esse vis ab Aristotele attributas: qui cum definisset contradictionem, *unius eiusdemque rei affirmationem & negationem*, singularem quandam contradictionem excogitavit callidus & valde Sophista,

*Quidam homo ambulat,*

*Quidam homo non ambulat:*

Neque enim eandem numero rem vere simul affirmari negarique posse: quod in proposita contradictione fieri videmus. Valde ita me Diament, acute & ingeniose moveretur RAMVS noster: Aristotelem sua ipsius definitione confutat, & ut in proverbio est, *suo sibi illum gladio iugulat*: modo ut satis intelligat, quomodo Aristoteles *contradictionem* definierit: contradictionem namque ille esse vult, *cum idem de eodem dicitur & negatur*: idem autem & unum est, quod naturam unam eandemque significat: ita contradictio erit si dicas,

*Homo iustus est,*

*Homo iustus non est.*

Eadem enim natura de eadem re & dicitur, & negatur: quod quidem duobus fit modis: vel enim omnino & in totum & affirmamus & negamus, ut cum dicimus,

*Omnis homo iustus est:*

*Nullus homo iustus est:*

Vel ex parte utrumque facimus, ut cum dicimus,

*Non omnis homo iustus est:*

*Quidam homo iustus est.*

Qua in contradictione dubium non est, quin idem de eodem, hoc est natura eadem & res eadem de eadem re & dicatur & negetur: sed quia non in totum id fit, sed ex parte dun-

taxat, vere dicitur *utrumque*. Neque vero est necesse de eadem re individua negari & affirmari, ut de eadem re dicamur & *negare* & *affirmare*: natura eadem etiam *universa* dici potest. Quare cum sic dicitur,

*Quidam homo iustus est:*

*Quidam homo iustus non est:*

de eadem re *universa* & aio & nego, utrumque tamen ex parte neque *universe* facio: quae causa est ut vere *utrumque* dici possit. Quod cum intellexisses nunquam, quamquam minime erat obscurum, *mendacem tamen ac vanum Aristotelem*, qui hoc dixerit, appellare ausus es: cum maior vanitas quam tua excogitari nulla possit: qui & quod non intelligis damnas, & intelligere vis, in quo nunquam elaborasti. Sed ad reliqua pergamus. In nomine & verbo finitis tortuosa quaedam somnia esse vis: & tamen quatenam ista somnia sint taces. Ego nullum in re hac somnium, nihil tortuosum video, nihilque contra non verum, non rectum, non simplex, non apertum. *Homo* nomen finitae vis & significationis est: quare *nomen finitum* dicitur: *NON HOMO* autem quia certa eius significatio definitaque non est, cum & in eo quod est, & in eo item quod non est, dicatur, *nomen* appellatur *infinitum*: eademque verbi ratio est: cui non secus quam nomini si praeponas negationem, verbum facies infinitum: cuius significatio ad omnia ea pertinebit, de quibus illud vere negari poterit: quemadmodum *non homo* rem nullam certam significat, sed in eo omni dicitur, quod homo non est, sive id in rebus sit, sive minime: nam & *lapis qui est*, & *Socrates qui mortuus est*, vere dicitur *non homo*. Nulla hic ego somnia conspicio: neque vero te ulla vidisse, quia non ostendas, puto. Cur non idem hoc loco fecisti, quod in *futuris contingentibus* postea facis, ubi quia momentum non potes, interpretem agis? Venio ad *infinitas enunciationes*, de quibus quid tui sit iudicii tuis ipsius verbis referam. *QUARTA quaestio*, inquis, *est de enunciationibus finitis & infinitis ex Chimaeris nominum verborumque somniis: in quibus quam anilia, delira, errantia, vaga, caeca sunt omnia? hic collatas esse multorum dierum insanias ex rabie insanorum sophistarum arbitror. Primo enim quando secundum adiacens attributum est, Octo enunciationes, quatuor indefinitae, quatuor universae ex subiecto finito infiniteque sunt: ut*

*Homo ambulat*

*Homo non ambulat*

*Non homo ambulat*

*Non homo non ambulat*

*Omnis homo ambulat*

*Nullus homo ambulat*

*Omnis non homo ambulat*

*Nullus non homo ambulat.*

*Totidem fient, si infinitio ad attributum transferatur: ita erunt decem & sex. Quod si subiectum*

& attributum simul infinitionis nota efficiantur, quatuor & viginti. Numerus duplicabitur si tertium adiacens attributum sit, erunt quadraginta octo enunciationes: si pro indefinitis addas singulares, rursus duplicabitur, & erunt nonaginta sex. Postremo quod interpretes fecerunt, si privantes admisceas pro infinitis, dupla erit multitudo, & enunciationes erunt centum quadraginta quatuor. Verba credo tua agnoscis: nullum sciens aut arroganter immutavi, aut praetermissi malitiose. Primum igitur illud non animadvertis, solere eas enunciationes, quae indefinite aut aiunt, aut negant, cuiusmodi hae sunt,

*Homo ambulat*

*Homo non ambulat*

Pro iis poni,

*Quidam homo ambulat*

*Quidam homo non ambulat*

quae ex parte aiunt & negant. Tum vero octo illas enunciationes subiecti finiti & infiniti ubi enumerasti, oblitus scilicet agere te de enunciationibus iis, in quibus attributum secundum esset adiacens, *totidem nasci posse dicis enunciationes si infinitio*, hoc est, negatio (patere me tua verba interpretari, ut omnes intelligant quam ingeniose moveare) *ad attributum transferatur*. Dic mihi, quomodo in huiusmodi enunciationibus

*Homo est,*

*Homo ambulat,*

in quibus attributum secundum est adiacens, attributo potest addi infinitio, nisi hoc modo,

*Homo non est,*

*Homo non ambulat?*

At hae enunciationes nonne posita a te finitae sunt, & in negationibus finitarum numeratae? Quid ergo vis octo rursus alias fieri enunciationes, cum secundum adiacens est attributum, si negatio addatur attributo? Nego enunciationes, in quibus secundum adiacens attributum est, siue dictum, (iam enim supra dixi quod Graeci *κατηγορηματων* appellant, id me vocare *dictum*) pluribus posse modis finitione & infinitione variari quam iis,

*Homo est*

*Homo non est*

*Omnis homo est*

*Nullus homo est*

*Non homo est*

*Non homo non est*

*Omnis non homo est*

*Nullus non homo est.*

Tolle igitur sodes octo illas enunciationes e tuo cumulo, in quibus cum secundum adiacens attributum est, attributo additur infinitio. Tolle item alias octo quas fieri vis, cum adiacens secundum attributum est, & infinitio tam subiecto quam attributo additur: neque enim nisi subiecto in huiusmodi enunciationibus additur infinitio, quod modo docuimus, id autem quot

fieret modis initio posuisti. Haftenus octo duntaxat habemus enunciationes, cum tu iam feceris viginti quatuor: addamus alias octo, cum tertium adiacens attributum est, & attributo adicitur infinitio, quae sunt huiusmodi,

*Homo iustus est*

*Homo est non iustus*

*Omnis homo est iustus*

*Omnis homo est non iustus,*

*Homo iustus non est,*

*Homo non est non iustus*

*Nullus homo est iustus*

*Nullus homo est non iustus,*

Alias item octo addamus cum subiecto adponitur infinitio, ut in iis,

*Homo est iustus*

*Homo non est iustus*

*Non homo est iustus*

*Non homo est non iustus*

*Omnis homo est iustus*

*Nullus homo est iustus*

*Omnis homo non est iustus*

*Nullus non homo est iustus*

& Octo praeterea alias cum & subiecto & attributo additur infinitio. Triginta itaque duae erunt omnes enunciationes: contradictionum autem genera quatuor, unum in iis enunciationibus: in quibus secundum adiacens est attributum: tria in iis in quibus secundum adiacens est attributum: quod ex hac descriptione intelligi licet.

Contradictio enunciationum secundi adiacentis, variato subiecto finitione & infinitione.

*Homo siue aliquis homo, est,*

*Homo non est*

*Non homo est*

*Non homo non est*

*Omnis non homo est*

*Nullus non homo non est.*

Contradictio prima enunciationum tertii adiacentis quae variato attributo sit,

*Homo iustus est*

*Homo iustus non est,*

*Homo non iustus est*

*Homo non iustus non est,*

*Omnis homo iustus est*

*Nullus homo iustus est,*

*Omnis homo est non iustus*

*Nullus homo est non iustus.*

Secunda variato subiecto,

*Homo iustus est*

*Homo iustus non est.*

*Non homo iustus est*

*Non homo iustus non est.*

*Omnis homo iustus est*

*Nullus homo iustus est.*

*Omnis non homo iustus est*

*Nullus non homo iustus est.*

Tertia variato & subiecto & attributo.

*Homo iustus est,*

*Homo*

*Homo iustus non est,  
 Non homo est non iustus  
 Non homo non est non iustus  
 Omnis homo est iustus  
 Nullus homo est iustus,  
 Omnis non homo est non iustus  
 Nullus non homo est non iustus.*

Vides igitur, centum & quadraginta quatuor tuas enunciationes ad triginta duas rediisse. Nam de tuo numero & tollendae illae sunt quas iam dixi, & octo praeterea illae, cum pro *indefinitis enunciationibus singulares*, quemadmodum tu loqueris, ponuntur: siquidem idem *indefinitae* valent, atque illa, in quibus ex parte aut affirmamus aut negamus. Neque id eo tamen dico, quia *indefinitae* in artibus ac disciplinis non sumantur pro universis, sed quia ut vera indefinita sit, satis est veram eam esse, quam tu *singularem* vocas. Tollendae illae praeterea octo cum privantes pro infinitis admiscuntur, quod tu interpretes fecisse criminaris. Nam neque pro infinitis admiscuntur privantes, cum idem *privatio & infinitio* non valeat: & quicquid huius interpretes fecerunt, id eo tantum fecisse videntur, ut quae ratio finitarum & infinitarum esset, ex ea ratione quam privantes habent cum utrisque intelligi posset. Quam cum intellexeris numquam, atque etiam aenigma voces, miror quomodo explicare tamen & dissolvere tentaris: quod quemadmodum tibi successerit videamus: citemusque tua verba, ne quid a nobis calumniae causa fingi dicas. *At etiam hic Aristotelei aenigmata esse gloriantur, & arcana quaedam inexplicabilia, Quando autem est tertium adiacens praedicatur, dupliciter dicuntur oppositiones, dico autem ut est iustus homo: tertium dico adiacere nomen vel verbum in affirmatione. Quare ob id ipsum quatuor erunt illae: quarum duae quidem ad affirmationem & negationem se habebunt secundum consequentiam, ut privationes, duae vero minime. Hoc est aenigma Aristotelis, ut ipsi se efferendo gloriantur interpretes. Et post multas rursus intemperies, Oedipe inquis, subveni, dissolve aenigma, & belluam interfice. At quale est istud aenigma? Affirmationem finitam sequuntur duae negationes infiniti & privati attributi, non contra. Nihil aliud? nihil certe: tua haec verba sunt, tua haec Aristotelici aenigmatis solutio. Nae tu RAME, Oedipus malus es: quid enim minus sibi vult Aristoteles, quam quod tu putas? Duae negationes infiniti & privati attributi affirmationem, inquis, finitam sequuntur, non contra, hoc est, negationes infinitam & privatam finita non consequitur affirmatio. O ingenium callidum, o hominem acutum, o Aristotelis interpretem cum illis veteribus Alexandris, Themistiis, Simpliciiis conferendum! DVAE VERO MINIME, hoc est, non contra? quid igitur finita negatione, quid affirmationibus infinita & pri-*

vante faciemus? quam earum inter ipsas rationem esse dicemus, siquidem Aristoteles, si modo tibi credimus, id tantum dicat, finitam affirmationem antecedere, consequi autem infinitam & privantem negationes? Disce, disce RAME, quid locus habeat sententiae. Duae, inquit Aristoteles, infinitae, negatio videlicet & affirmatio, ita ad affirmationem & negationem finitas se habent, & eo affectae ordine sunt, quo privantes ad illas ipsas finitas: neque enim secus affirmationem finitam infinita consequitur negatio, quam privata: negatioque finita eodem ex affirmatione infinita, quo ex privata sequitur modo: duae vero finitae, affirmatio videlicet & negatio, non ita se ad infinitas habent, quemadmodum ad easdem infinitas privatae: privatam siquidem affirmationem infinita sequitur affirmatio, quam finita sequitur negatio: contraque negatio privata negationem sequitur infinitam, quam finita antecedit affirmatio. Id quod ex hac descriptione intelligi licet,

*Finita affirmatio, Homo est iustus,  
 Negatio finita, Homo non est iustus,  
 Infinita negatio, Homo non est non iustus,  
 Affirmatio infinita, Homo est non iustus,  
 Privata negatio, Homo non est iniustus,  
 Affirmatio privata, Homo est iniustus.*

Infinitae igitur & privatae eodem se ad simplices modo habent: negationes enim & privatae & infinitae sequuntur affirmationem finitam: affirmationes autem negationem finitam antecidunt. Duae vero finitae, haec scilicet, *Homo iustus est, Homo iustus non est*, non eodem affectae ad infinitas ordine sunt, quo privatae ad has ipsas infinitas. Affirmatio enim haec simplex, *Homo iustus est*, negationem hanc infinitam, *Homo non iustus non est*, antecedit, negatio vero haec privata sequitur, *homo non est iniustus*: Negatio autem haec finita, *homo iustus non est*, infinitam hanc affirmationem sequitur, *homo est non iustus*, quam privata haec antecedit affirmatio, *Homo iniustus est*. Hoc RAME, Oedipus dicat, si Aristotelicum aenigma velit dissolvere: & belluam quemadmodum tu ais interficere: sin ipse interfici a bellua velit, quid potius dicat quam quod tu dicis? Sed mirum nihil est, te in hac paulo subtiliore disputatione hallucinatum esse, qui ne illud quidem in modorum enunciationibus intelligere potueris, *non e verbo, sed e modo, qui verbo additur, spectari affirmationes & negantias*. Soluta simplexque enuntiatio est, *Homo animal est*, modi haec, *Homo necessario animal est*: prioris negantia haec est, *Homo animal non est*: posterioris haec, *Homo non necessario animal est*: modo namque adiecta negatio est: enuntiationes itaque haec contradicunt, *Socrates necessario bellua est, Socrates non necessario bellua est*, quod RAME tamen fortiter negat: quia falsa scilicet utraque sit: in contradictione autem par sit flagitium, si falsa

*pars utraque sit atque si vera.* Vbi lumen RAME, Dialecticum quod in te Deus Optimus Maximus accendit? Quid ais? falsa haec tibi videtur enunciatio, *Socrates non necessario bellua est?* falsa igitur & haec erit, quae valet idem, *Neceffe non est Socratem esse belluam:* & ut in similibus consideremus, falsa haec quoque erit, *Neceffe non est Petrum Ramum esse belluam,* & haec item, *Neceffe non est Antonium Goveanum esse belluam:* quid de te ipse velis respondere, tui est arbitrii, ego ne me belluam necessario faciam, veram semper hanc esse contendam, *Socrates non necessario bellua est.* Respondi ad omnes tuas calumnias in *librum de interpretatione:* quae ut leves sunt, ita a me irrideri potius quam refutari debuerunt, nisi bonorum adolescentum utilitati, quorum tibi infirma iudicia ludibrio sunt, consulere voluissem. Neque enim existimare debes, hunc me laborem pro Aristotele respondendi suscepisse, ut tanti viri auctoritatem confirmarem, aut ego in *Mustaceo*, ut est apud M. TULLIUM, *laureolum quaererem:* laudis enim mihi fortasse aliunde facultas est: neque vero magnum est perficere, ne tam novae opinionis, tam nulla ratione, tam nulla auctoritate fundatae & constitutae, in iuvenum animis inveterascant. Venio ad *Analytica*, ubi tu in ipsa statim inscriptione calumnianda & ingeniosus & Graeculus videri vis: cum assequi tamen & vera dicendo, & sane interpretando utrumque posses. *Αναλύειν*, inquis, *retexere est & delere:* unde libri ii dicuntur *ἀναλυτικοί*, quod iudicium homini a natura datum deleant & corrumpant. Quod si sic dixisses, *ἀναλύειν est in partes suas rem quamque scite revocare & resolvere:* quod quia artis maioris multo est quam componere rem & coagmentare: hoc enim etiam imprudentes facimus: ea de causa Aristoteles eos libros in quibus & conficere syllogismum, & demonstrationem; & resolvere rursus utrumque docet, *Analyticos* inscripsit. Si sic inquam dixisses, neque ingeniosum minus, atque haud scio an magis, neque Graecae linguae minus intelligentem homines te iudicassent. Hoc si praeterea addidisses, quaedam facere Aristotelem priora *Analytica*, quaedam posteriora, quod in illis syllogismi, qui demonstratione natura prior est, resolutio in propositiones, in tria momenta, in tres figuras continetur, in iis autem demonstrationis revocatio in necessaria pronuntiata, in tria item momenta, propriam scilicet rei notam, definitionem, & genus subiectum. Hoc inquam si addidisses, non modo dixisses, quod erat in re hac dicendum, verumetiam reliquae reprehensionis tuae magnam auctoritatem & pondus addidisses. In quam ingredienti tibi *duae ingentes & portentosae belluae vestibuli custodes* occurrunt: duo illa principia, *Quid de omni,* & *quid item de nullo* dicatur: quae cur belluas appelles non equidem

intelligo. Quid enim? falsa ne sunt, aut inutilia? falsa dicere non potes: nisi sorte tibi omnia licent: inutilia quomodo probas? *principia haec*, inquis, *ad syllogismos primae speciei* (*figuram* hac in re Graecum illud *σχῆμα* interpretari commodius potuisses) *demonstrandos adhibentur: quae evidentiora & clariora nihilo sunt quam ipsi syllogismi.* Si quis enim non assentiatur ita concludenti, Omnes impostores sunt execrandi, omnes sophistae sunt impostores, omnes igitur sophistae sunt execrandi. Si quis inquam sic concludenti non assentiatur; neque fieri illud putet, Omnes sophistas execrandos esse, quamvis duo illa dederit, Omnes impostores execrandos, & sophistas omnes esse impostores, ille non magis vincatur, si sic rursus aggrediare, De quocunque impostor dicitur, de eo utique dicitur execrandus, sed impostor de sophista dicitur, non est igitur quod dubites, de sophista dici execrandum: idem enim ei dicere videbere: atque ideo te irrideat. Hoc tibi quidem sic videtur: mihi alia mens est, aliudque iudicium. Nemo enim est eorum qui sapiunt, cui dubium sit animal, si de omni dicatur homine, nullum posse sumi hominem, de quo item non dicatur: sunt tamen permulti qui non intelligant, quae in syllogismo primae figurae vis sit & concludendi necessitas: neque ante acquiescant, quam hoc eis principio exponatur. Quam si ne ita quidem intelligant, tum insanos dementesque iudicamus. Duas has portentosas belluas sequitur ratio illa coarguendae falsae conclusionis, quam tu *Chimaeram* vocas, credo ut perpetuam tuam maledicendi consuetudinem retineas, neque ulla tui libri pars nova aliqua vacet contumelia. Equidem non video, qui facilius, clarius, dilucidius, verius, fallacem doceas conclusionem, quam si ostendas, non esse quam obrem affirmatio universa potius ex illa sequi, quam negatio dicatur. Exempli causa, dicat quis in prima figura e duabus negantibus enunciationibus, negantem universam recte posse concludi: itaque nectat syllogismum,

*Nullum animal est lapis,*

*Nulla nix est animal,*

*Quare nulla nix est animal.*

Siquis inquam recte sic concludi putet, tum ego eadem figura eademque, ut ita dicam, conservata forma aliam colligam conclusionem, in qua universa potius affirmatio quam negatio, sequi efficique videatur: quae erit huiusmodi,

*Nullus lapis animal est,*

*Nullus homo lapis est,*

Falsum tamen est *hominem nullum animal esse*, verumque contrarium. Hoc ille ubi viderit, non dubium, quin falsam colligendi rationem iudicet, cum quis ex duabus negantibus complexionem ullam exprimere & elicere conatur. Haec reprehendendae falsae conclusionis verissima & certissima ratio *Chimaera* tibi videtur: quam-

quamobrem? an quia usum habeat nullum, quem habet, sicuti omnes vident, maximum? an quia fallax sit, quae fallat & decipiat numquam? Verum ita sit, neque usum habeat ullum, & fallat semper, cur id tamen non dicis? cur causam nullam falsam saltem, fictam, ineptam adfers, quamobrem hoc tibi credere debeamus? Tanti ne tuam apud nos autoritatem fore putasti, ut dicenti tantum, non dicam mentienti, & nihil probanti omnia crederemus? Nega RAME, si potes, nega, nos tibi ludibrio fuisse, nega iocularem istam tuam esse audaciam: qui si unquam putasses lectum iri librum tuum ab hominibus, non dico a nobis, qui aliquid didicimus, scribere isto modo ausus numquam esses. Vis nobis de manibus Aristotelem excutere, vis te pro illo a nobis legi, rationem afferre nullam vis, quam ob rem id facere debeamus. Cogere hoc RAME est, non persuadere: regem, non doctorem esse. Sed haec omitto: neque enim de te, sed de re dicere propositum mihi fuit ab initio. Chimaeram tertiam facis utilissimam illam Aristotelis admonitionem, cum in secunda figura tam propositio quam assumptio aut affirmat, aut vero negat, illa universe, haec ex parte, qui vitiosi sunt rationis concludendae modi: reperiri quidem facile ubi maius extremum universe negetur de minore: ubi vero affirmetur, non nisi cum assumptio ita ex parte aut negat aut affirmat, ut universe etiam possit. Utamur exemplo: enuntiatio- nes hae,

*Quidam homo animal est,*

*Quidam lapis animal non est.*

Ita ex parte & negant & affirmant, ut universe tamen & negare possint & affirmare: non enim vere minus dicimus *omnem hominem esse animal*, & *lapidem nullum esse animal*, quam cum ex parte dicitur utrumque. Id quod in re omni & materia non reperias: neque enim quemadmodum *animal aliquod esse nigrum* vere dicitur, ita vere quoque dicitur *omne animal esse nigrum*. Cum igitur & propositio & assumptio in secunda figura aut negant ambae aut affirmant, illa universe, haec vero ex parte, siquidem id in totum facere non possit, invenias quidem facile, ubi maius extremum de minore negetur universe: ubi vero affirmetur, non reperias. Exempli causa, si quis haec duo sumpserit

*Omnem olorem candidum esse,*

*Aliquem lapidem candidum esse*

& in secunda figura aliquam elicere complexio- nem velit, admonetur primum ab Aristotele, fallacem esse rationem hanc colligendi, non enim esse cur affirmatio potius quam negatio sequatur. Nam in proposito exemplo quanquam de Olore candor dicitur universe, de lapide autem ex parte, non tamen ideo non negari in totum de lapide Olorem: Quod si quis haec duo sumpserit,

*Quidquid rationis particeps est animal esse,*  
*Quendam vero hominem animal esse,*

verum illud inveniet, *Omnem hominem rationis esse participem*: in quo rursus nos Aristoteles admonet, ne fallamur: non enim in quavis materia id accidere, ut maius extremum profus minori insit, sed tantum cum assumptio ita affirmat ex parte, ut affirmare quoque universe possit: id quod de negatione quoque intelligi debet. Nam ut aliud non quaeratur exemplum, si sic quendam hominem animal diceremus, ut quidam etiam animal non esset, nunquam dici vere posset, *omnem hominem rationis esse participem*: etenim si quidquid rationis particeps est, animal esset, quidam vero homo animal non esset, necessario illud fieret, *quendam hominem rationis participem non esse*: nos autem contrarium affirmabamus. Idem fit cum & propositio & assumptio negant: passim enim reperias, ubi maius extremum de minore profus negetur: ubi vero affirmetur, non nisi cum ita ex parte negat assumptio, ut negare in totum possit. Cuius rei hoc ponamus exemplum,

*Nullum animal nix est,*

*Quidam asinus nix non est, & tamen*

*Omnis asinus animal est.*

Quod certe nunquam accideret, si quae ex parte negat assumptio, negare non posset universe: hoc est, si quemadmodum *quidam asinus nix non est*, ita *quidam quoque nix esset*. Si enim *asinus quidam nix est, & nullum animal nix est, quidam asinus animal non est*: id quod illius quod verum esse volebas contrarium esse animadvertis, omnem videlicet asinum animal esse. Hoc idem in tertia quoque figura admonendi sumus, cum quidem assumptio ex parte vel negat, vel affirmat, propositio autem universe: tum enim, quamvis ita neget assumptio, ut in totum non possit, reperiemus tamen ubi de minore extremo dicatur omnino maius, non item ubi negetur. Si enim

*Quidquid rationis particeps est, animal quoque est,*  
& eorum quae rationis capacia sunt, *quiddam nix non est*, quiddam vero est, vere nunquam dici possit, *Nullam nivem esse animal*. Nam si nix in eis sit, quae mentis & consilii capacia sunt, & haec omnia animalia sunt, nix profecto in animalibus numerabitur. Cum vero & assumptio & propositio negat, tum passim reperias ubi de minore extremo maius omnino negetur, ubi vero affirmetur, nunquam nisi cum assumptio ex parte sic negat, ut negare quoque in totum possit. Si enim

*Animal nullum aqua est*

& *Animal quoddam nix non est*, ita ut & quoddam quoque animal nix sit, vere dici non potest, *Omnem nivem esse aquam*. Nam si nix omnis aqua est, & animal quoddam nix, quoddam certe animal erit aqua.

At nos nullum animal aquam esse ponebamus.

mus. Haec & vere praecipi, & ad artis huius perfectam absolutamque intelligentiam utiliter moneri. Quod si te haec tanta subtilitas aut non delectat, aut ingenii tui aciem fugit, non ideo verum tamen est, damnari eum qui haec tam excogitavit subtiliter, & tam tradidit diligenter. Non omnium idem RAME sensus, non idem iudicium est: illud tibi, mihi aliud placet: hoc tu Aristotelis acumine non delectaris, tam sollicita tibi non probatur in tradenda arte diligentia: mihi nihil satis placet, nisi quod acutius paulo est atque subtilius, neque ulla in docendo nimia videtur diligentia. Quin ergo fumimus quisque quod commodum est, neque caeteros homines nostro duci studio putamus? *Chimaeras* has, ut tu vocas, *monstra quaedam sequuntur conversionum & inutilium ad id quod adhibentur, & abhorrentium a loquendi communi ratione atque usu.* Quid ais RAME? monstra tibi docere videtur is, qui quemadmodum enunciationes reciprocentur & redeant in sese docet? an non ex hominum communi sensu desumptae enunciationum reciprocationes hae videntur? Quis est omnium hominum, qui cum omnem stipulationem *contractum* esse concesserit, negare audeat, *Quendam contractum esse stipulationem?* aut cum hoc dederit, *contractum quendam stipulationem esse, quamdam rursus stipulationem contractum esse non det?* ecquis est tam hebes, tam tardus, qui cum hoc susceperit, *Nullum ius esse iniuriam*, non videat dandum quoque illud esse, *Nullam iniuriam esse ius?* Sumpta haec RAME e medio sunt, sumpta e communi hominum intelligentia: cuius cum mater natura sit, quid est quaeso, cur negemus naturae decreta haec & praecpta esse? Quorum quantus sit quamque necessarius usus in revocandis aliarum figurarum syllogismis ad principem figuram, quae multo omnium clarissima est, dicerem si obscurum arbitrarer. *Quinta regione*, inquis, *post has horrendas feras circumstant ex variis monstrorum generibus compositae Chimaerae ex permixtione pronunciatorum solutorum, necessariorum, contingentium.* Sunt autem interpositae *duae formae communes, genus vel Aristoteleorum confessione, tortuosum & inauditum.* Ad utrumque tibi respondebo, sed ut est apud M. TYLLIVM, ὅτιρον πρότερον ὀμηρικῶς. Duae iste RAME colligendi formae quas dicis, sunt uti puto, cum *propositio vel universe vel ex parte affirmat, assumptio autem negat universe*: quibus duobus modis minus extremum de maiore colligitur necessario, id tamen ex parte, sic,

*Omne animal sentit,*

*Nullus lapis est animal*

Quare naturarum sentientium quaedam lapis non est. Nam si propositio reciprocetur, fiatque assumptio, & reciprocata item assumptio fiat propositio sic,

*Nullum animal est lapis,*

*Quaedam natura sentiens est animal,*

Sine ullo errore eadem quae ante sequetur Conclusio. Natura igitur quaedam sentiens lapis non est. Idem accidet si ex parte affirmet propositio. Quod concludendi genus etsi rectum non est, quia minus extremum colligat de maiore, quod contra fieri decebat, firmum tamen est & constans: ut ab eo qui artem hanc conclusionum perficere cogitarit, non debuerit praetermitti. Venio ad *permixtos syllogismos*: in quibus tu nihil utilitatis, nihil veritatis esse vis. De utilitate initio tibi respondebo. Saepe equidem audivi magnos Theologiae nostrae locos non sat commode sine permixtis iis syllogismis explicari tractarique posse. Ne longius abeas, *quomodo Deus optimus maximus creavit res, sponte ne an vero necessitate eadem quae natura, agat, tum, hominum liberae ne ac solutae sint voluntates*, innumerabilesque aliae generis huius quaestiones tractari ab eo pro dignitate non possunt, qui conclusionum harum rationem ignorat. Neque vero minore habent usum in externa hac Graecaque Philosophia: in qua multa de *animalium motu*, multa de *fato*, de *fortuna*, de *casu*, in omnibus philosophorum familiis ac disciplinis quaesita sunt & disputata. Habes de usu: nunc quid fraudis in iis insit videamus. *Primum inquis illud verum non est, ex necessario & soluto pronunciatum sequi necessarium: hac enim lege omni rationales fiunt. Sic enim ad Aristoteleorum praecptum concludi potest,*

*Omnis homo necessario est rationalis*

*Quidvis currens est homo.*

*Soli enim currant homines, ut Aristoteles in pari enunciati soluti exemplo sumit omne animal moveri, Ergo omnia currentia necessaria rationalia sunt. Itaque Aristotelis iudicio, si quando currant omni, necessario rationales erunt.* Reprehensionem tuam tuis ipsius verbis exposui. Nega nunc si potes RAME te aut Sophistam esse malitiosum, aut si minus id fateri vis, stultum & bardum. Solutum hoc tibi pronunciatum videtur, *Quidvis currens rationale est*, quod non falsum modo est, verum etiam τῶν ἀδύνατων. Verum esse solutum pronunciatum Aristoteles vult, e quo debeat constitui Syllogismus, cuius complexio futura sit necessaria. Neque vero ut sic dicas, *Quidvis currens contingit hominem esse*, vere dicas: tantum abest ut illud simplex solutum ac purum dici vere possit, *Quidvis currens hominem esse*. Neque vero simile quidquam illius habet quo utitur Aristoteles *Omne animal movetur*: fieri enim hoc potest, illud non potest, nisi rursus ponas hominem duntaxat currere. Illud igitur Aristotelis pronunciatum τῶν εἶναι εἶναι ὄντως καὶ ἀπλῶς, tuum autem τῶν ψευδῶν καὶ τῶν ἀδύνατων καὶ μὴ ἀληθῶν ἀλλ' εὐκ ἐκ τῆς ὑποθέσεως. Verum esto: utamur tua fictione: ponamus hominem

minem duntaxat currere, vereque ideo illud dici, *Quidvis currens esse hominem*: an non vides, verum illud fore, *Quidvis currens necessario est rationis capax*, quamdiu veri dici volueris, *Quidvis currens esse hominem*? Intelligis puto quid velim: vere dici ab eo *quidvis currens necessario rationis esse capax*, qui hominem duntaxat fingat currere. Nam quod tu ingeniose sane & acute dicis, *asinos fore rationis participes, si quando currant*, locum habet nullum: tum enim soli homines non current, quae tua erat fictio. Non igitur inventa ab Aristotele ratio est, qua idem quod homines asini fiant, sed qua nebulones necessario esse probemus eos, qui huiusmodi calumniis artem verissimam conabuntur evertere: sophistae enim sunt, qui non possunt non esse nebulones. Enimvero RAME, non tibi tam timendum fuit, ne asini hac Aristotelis arte rationis participes, quam ne tu nebulo probare. In iis veneficorum incantamenti illud quoque numeras, quod Aristoteles contingens in *necessarium & non necessarium* distinxit, cum iam antea declarasset in tribus illis enunciandi modis *soluto, necessario, contingente*, aliud *contingens*, aliud esse *necessarium*. Quasi vero non liceat, ubi aliqua duo seiunxeris atque separaris, admonere interdum in eodem utrumque dici. At quibus nos verbis commonescit Aristoteles, id quod *necessarium* est, dici quoque *contingere*? quae certe praeter unum te qui totus quantus es, calumnia es, calumniaretur nemo. De contingenti, inquit, *post hac dicendum nobis est, quando, qua ratione, & quibus item pronuntiatis confici debeat Syllogismus. Contingere* autem in praesentia id dico, quod cum possit non esse, si tamen ponatur esse, nihil sit incommode. Cum enim id quod potest non esse, *contingere* dicimus, nominis duntaxat similitudine id facimus. Haec docendi vera, simplex & recta via est: quam qui vel non novit, vel sequi non vult, is se aut nescire, aut nolle docere fateatur. Verum hanc reprehensionem levem esse ais: quod ego tibi verissime affirmanti credo: ad graviores itaque accedis. Quarum prima illa est, *falso docere Aristotelem in secunda figura e contingentibus ambobus pronuntiatis nihil concludi: ad quem tantum lapidem nunquam ais, offendisset, si diligenter attendisset modo enunciationes affectas, modo verboque, non autem solo modo negari*. Nonne haec gravis reprehensio est? Certe, si vera est, gravissima est. At veram esse qui credamus nisi demonstretur e *contingentibus ambobus pronuntiatis in secunda figura fieri aliquid necessario*? Hoc cum tu RAME, non facias, quomodo tibi credi vis? Dicis ex ambabus contingentibus enunciationibus in secunda figura colligi aliquid posse, quin id doces? quin unam aliquam colligis isto modo conclusionem, aut universam, aut ex parte? quin Aristotelem imitaris potius quam calumnia-

ris, qui nihil dicit nisi quod docere & probare potest? Neque tamen satis fuit dixisse falsum id esse quod erat verissimum: causam etiam ascribis cur ad hunc tantum lapidem Aristoteles offenderit: quod scilicet illud quoque falso putasset, *in modorum enunciationibus negationem & affirmationem e modo spectari*. Quod quoniam, uti supra docuimus, verissime putavit Aristoteles, dubitare nemo debet, quin hoc quoque verissime dixerit, *in secunda figura ex ambobus pronuntiatis contingentibus nihil fieri necessario*. Verum & hanc in contingentibus plagam ferri posse ais, illa ferri quomodo possit, non vides, quod ab Aristotele postea praecipitur e *soluto & contingenti, vel e necessario & contingenti in eadem figura concludi contingens: nam si negatio concludatur, concludetur & affirmatio: hoc enim est contingens non necessarium*. Primum ego quid Aristoteles velit, tum quid tu reprehendas exponam. E soluto & contingenti, vel contingenti & necessario, modo vel solutum vel necessarium negetur, affirmetur autem contingens, sequi ait Aristoteles, *Complexionem contingentis* quidem, non veri tamen: sed quemadmodum dicimus contingere, *nullum canem esse corvum*: quia enim necessarium non est *canem esse corvum*, vere ideo videmur posse dicere, *contingere canem non esse corvum*. Ponamus exemplum Syllogismi, quo res intelligatur apertius.

*Nullus corvus albus est,*

*Contingit omnem canem esse album,*

*Quare contingit nullum canem esse corvum.*

Propositio soluta est negata, assumptio affirmata contingens, complexio contingentis quidem, sed quemadmodum iam diximus, non veri: ea enim demum *vere contingere* dicuntur, quae & esse & non esse possunt: ut *canem & esse & non esse candidum*. Nunc videamus quid reprehendas. *Non debuit, inquis, variare contingentis significationem: ne discentibus tenebras offunderet*. Quas (malum) tenebras mihi naras? quasi vero non te moneat Aristoteles, idque pluribus locis, quemadmodum in complexionibus accipi debeat contingens? Haecine RAME, plaga est, quae ferri potis non est? mihi quidem neque mortifera plaga videtur, neque gravis plaga videtur, neque omnino videtur plaga. Vtrumque hoc ignavi ac sine animo militis est: & cum levissime vulneratus sit, verbis augere vulnus, & cum vulnus acceperit nullum, sed hostis gladium duntaxat strictum viderit, ita animo tremere quasi acceperit. *Sexta sequitur lerna omnium maxima, & maxime, si constanter quis aspiciat, irridenda: caput est unum de inventione medii, in quo tenebras lubricae & praecipites sunt, poenae & cruciatus ab Aristotele tortore suis discipulis & sectatoribus constituti*. Quae ego nunquam mirabor RAME, a te dici: si ab eo dicerentur qui

qui Graecae linguae intelligens esset, qui Aristotelem sua lingua, & illius item interpretes legere potuisset, tum mirarer. Si obscuritas in hoc capite aliqua est, eum accusa qui e Graecis dilucidis Latina fecit obscura: Aristoteles quid commeruit, quid peccavit RAME? Praeterea, inquis, hoc eius quae in re hac peccatum est, quod quae hic ab eo praecepta traduntur, nihil aliud quam ridiculam περισσολογίαν, & inanis iterationis amentiam continent. Nam cum primae figurae modum primum definiret, dixit argumentum, maius quaestionis extremum antecedere, consequi autem minus: quanquam id aliis verbis: nunc vero, cum doceat quomodo inveniendum medium sit, hanc iterum regulam ponit, ut requiram quod antecedit maius, & sequatur minus. Nae tu ingenio egregie ad calumniam natus es. An non sic primum primae figurae modum definit Aristoteles, Cum medium in toto maiore sit extremo, minus autem in toto medio? Quibus verbis aliud nihil significat, quam primum illum modum fieri e duabus enunciationibus aientibus universe. Nunc vero quid docet? quomodo scilicet inveniendum medium sit, de quo universe maius dicatur extremum, & ipsum rursus de minore: quaerendum inquit, est eiusmodi medium quod antecedit maius extremum, & sequatur minus. Exempli causa, propositum tibi sit docere, *Hominem corpus quoddam esse*: vide ecquid possis invenire, quo posito consequatur illico corpus, quodque posito homine, poni sit necesse. Animal utrumque hoc inesse vides: si enim animal est, corpus utique est, & quod homo est, non potest non esse animal: hoc igitur aptissimum esse medium iudicabis ad docendum, hominem corpus esse, quod tibi erat propositum. Quam hic περισσολογίαν RAME, vides? Numquamne moris consuetudinisque tuae puerilis obliviscere, sed quemadmodum in enarrandis, ita & in reprehendendis autoribus figuras undique omnes conquires, neque quidquam de te, praeter figuras audiemus? An putas mirari nos, aut vero curare valde, ob quae tu pulchrum te & beatum esse putas? Consultius meo quidem iudicio faceres, si eadem hic figura uterere, qua postea uteris, cum te praeterire dicis recte & oblique concludentes syllogismos, itemque, eum qui ad absurdum aliquod adigit adversarium, & secum ipsum pugnare ostendit, qualitatem, quantitatem, numerum enunciationum, divisionis syllogismum, quia scilicet leviora haec sint, & gravissima quaeque persequi etiam sit molestum. Quae quoniam tu praeteris neque reprehendis, quid est quamobrem ego defendam? Ad illud tamen respondebo quod obiter iacis, *Divisionis syllogismum non infirmum, quemadmodum existimat Aristoteles, sed firmissimum esse, duosque in eo inesse syllogismos, copulatum unum, disunctum alterum*. Primum enim hunc Aristoteles syllogismum non eo infirmum dicit, quia ni-

hil colligat, nihil probet, sed quia definitionem, ad quam probandam ab Academicis adhibebatur, non colligat. Qui enim sic concludit,

*Omne animal aut rationis particeps est, aut expers,*

*Homo animal est,*

*Quare homo aut particeps rationis est, aut expers.*

Cum sic inquam colligis, *hominem animal esse rationis particeps*, non colligis. Quare ad probandas definitiones inepta haec concludendi ratio est atque infirma. Tu qui Academicus dici vis, docere debuisti, non tantum dicere, condiscipulorum tuorum inventum ad colligendas definitiones quantum virium & roboris haberet. *Postremum libri primi prodigium esse* ais, *Analytin*, hoc est resolutionem syllogismi in pronunciata, terminos, figuras, quam a *Thesi* & *Anadiplosi* exagitari dicis. Hoccine RAME, est reprehendere? hoccine Aristotelis peccata demonstrare? Si tuam impudentiam notam facere hominibus voluisses, si animi levitatem, si iudicii infirmitatem testari, quomodo nisi isto modo scribere potuisses? Atque hic tot tamque immanibus bellis superatis iam atque devictis, *respiras paulisper*: animoque recepto secundum prioris Resolutionis librum invadis: quem, cum tuo more primum calumniatus totum es, & mimice irrifisti, tum syllogismum, *qui in orbem it & redit*, unde ab Aristotele ἐγκύκλιος appellatur, oppugnare aggredieris. Quem cur sibi ipsum repugnare dicas non equidem intelligo, neque tu quidem, si verum fateri vis: tantum enim abest sibi ut repugnet, ut suas omnes partes vicissim probans, se ipse mirabiliter corroboret & confirmet. Quae enim magis constans argumentatio afferri potest, minusque sibi repugnans quam ea, quae ex eo quod effecit necessario, sumpto cum altero eorum pronunciatorum e quibus constabat, alterum colligit & concludit? Quid circularemne eam conclusionem esse putas, quae in secunda figura sic colligitur,

*Omnis disciplina bona est,*

*Nulla disciplina bona est,*

*Quare nulla disciplina est disciplina.*

Et ut tuo exemplo utar,

*Omnis sophista est impostor,*

*Nullus sophista est impostor,*

*Nullus igitur sophista est sophista.*

Contradicentes haec sunt, non ἐγκύκλιοι conclusiones, quae ad coarguendum eum valent, qui cum illud posuerit, *Nullam disciplinam bonam esse*, illud postea ponat, *omnem esse bonam*: tum enim cogetur confiteri, *Nullam disciplinam esse disciplinam*. Male se tibi principia habent: male caetera succedent. In ea conclusione quae adversarium eo adigit, ut contraria dicere cogatur, quid est tandem quod reprehendas? Ni-

hil



hil in ea novae artis esse? quis negat? ecquid aliud docere Aristoteles vult, quam & obliquos hos & rectos syllogismos eadem ratione concludi? In rationibus precario veluti ab adversario sumendi id quod extorquere vi argumentationis debueras, quod quidem vitium est vel maximum, in terminorum reciprocationibus nihil damnas, nihil reprehendis: ut mihi respondendi laborem adimere voluisse videaris. Venio igitur ad inductionem, exemplum, enthymema. In quo Aristotelem graviter reprehendis, quod inductionem & exemplum, quemadmodum enthymema, truncos non fecerit syllogismos. Inductionem enim omnem item & exemplum assumptione addita fieri syllogismos non secus atque enthymema. Siquis enim sic concludat,

*Omnis homo omnisque bellua sentit,  
Quare omne animal sentit.*

addita assumptione syllogismum fecerit, hoc modo,

*Omnis homo omnisque bellua sentit,  
Omne animal homo belluave est,  
Quare omne animal sentit.*

Lubet hic, priusquam tibi respondeo, animi causa tecum paulisper arguari. Primum igitur a te quaero, faciatne Aristoteles suos syllogismos ex disiunctis & coniunctis enunciationibus, an vero ex simplicibus tantum. Deinde illud quaero, cum in inductione ex partibus pluribus totum colligatur, an non ipsius quoque inductionis partes plures esse sit necesse. Postremo illud mihi volo respondeas, nunquid in hoc pronunciato,

*Omnis homo, omnisque bellua sentit,  
plura non insint pronunciata, haec videlicet duo,  
Omnis homo sentit,  
Et Omnis bellua sentit.*

Ad primum illud respondebis credo, id quod vere potes, Aristotelem syllogismos ex simplicibus pronunciatis componere. Ad id quod secundo loco quaerebam, quid possis respondere non video, nisi illud, quia ex partibus totum inductione colligatur, quot rei fuerint partes, tot ipsius quoque inductionis esse debere: illudque addes praeterea, ut ad postremam interrogationem meam eadem opera respondeas, si quis partes omnes rei uno comprehendat pronunciato, esse nihilominus plures argumentationis partes: nihil enim interesse, siue coniunctim sic dicatur, omnem hominem omnemque item belluam sentire: an disiunctim sic, omnem belluam sentire, & omnem hominem sentire: quibus duobus pronunciatis si tertium hoc addatur, Omne animal esse vel hominem vel belluam, colligaturque ad extremum omne animal sentire, confectum non esse syllogismum, in quo plures enunciationes tribus esse nequeant. Illud praeterea, quod dicis, eandem Enthymematis & inductionis esse formam, ideoque eodem ad syllogismum utrumque reduci ac revocari modo, hoc inquam, quomodo defendis? Enthymemati enim posteaquam aut propositionem

aut assumptionem addidisti, non iam Enthymema, sed syllogismus, ut est, ita quoque appellatur: inductioni autem si ut tu vis, addatur assumptio, manere tamen videtur *inductio*. Neque enim magis in argumentatione hac,

*Omnis homo, omnisque bellua sentit,  
Quare omne animal sentit.*

Non magis inquam, in argumentatione hac colligitur ex partibus totum, quae vis inductionis est, quam si hoc modo concludam,

*Omnis homo, omnisque bellua sentit,  
Omne animal homo belluave est,  
Quare omne animal sentit.*

Ut addita assumptione, manere tamen inductionem videas. Verum haec haecenus sum argutus, animi quemadmodum dixi causa, & ut intelligeres, si quod tu facis, facere ipse voluissem, quanto id elegantius, & acutius facere potuissem. Nunc tibi respondebo. Quaeris quamobrem Aristoteles Enthymema truncum faciat syllogismum, inductionem & exemplum non faciat: cum & haec eodem quo enthymema modo perfecti fiant syllogismi, omnia scilicet uno addito pronunciato. In quo ut causa esset cur dubitares, ut tamen Aristotelem condemnares, nulla sat iusta & vehemens erat: cogitare enim debuisti, quamquam in praesentia non intelligeres, quamnam hoc ratione ab Aristotele diceretur, posse tamen esse aliquam, neque ex tua temeritate Aristotelis divinam in scribendo prudentiam esse aestimandam. Sic igitur habeto, verum omnem & germanum syllogismum, quia per medium fiat, ad eas quaestiones, quae medio vacant, non adhiberi: ad quas, ne omni luce careant, adfertur *inductio*, quae ex iis rebus, quae sensibus notiores sunt, rem colligit universam, quae non tam sensibus est, quam menti nota. *Medium* autem id voco, quod proprie & vere medium est, hoc est, quod prius natura eo est, de quo quaeritur, quod si quando deest, deest autem cum aliquid τὸν ἀπὸ τῶν ἀμείνων, hoc est, cum primarum & summarum enunciationum aliqua probanda est, tum ad inductionem confugimus. Cum igitur syllogismus mentis ac naturae probatio sit, inductio autem sensuum, non potest *inductio truncus* dici syllogismus: addita enim assumptione, syllogismus quidem fit, non germanus tamen & verus, qui per medium & prius & notius natura concluditur, sed *epagogicus*, hoc est si sic loqui licet, *inductionalis*: qui priora ex posterioribus non secus atque inductio, demonstrat. *Enthymema* autem naturam syllogismi imitatur: vero enim utitur medio: addita itaque aut propositione, aut assumptione, ex imminuto plenus fit perfectusque syllogismus. Quod planius ut intelligas, utar exemplis. Pronunciatum hoc, *Quicquid bilem non habet, vivax est*, medium per quod probetur nullum habet, quare neque syllogismo, neque vero Enthymemate colligetur: relin-

relinquitur illa per inductionem probandi ratio, quam hoc modo concludam,

*Homo bile caret & vivax est,*

*Asinus item,*

*Equus item,*

*Elephas item,*

*Caeteraque item omnia, quae bile carent,*

*Quare quae bile carent, vivacia sunt.*

Quod si sic colligas,

*Homo, Asinus, Equus, Elephas, caeteraque bile carent,*

*Haec autem vivacia sunt,*

*Quare quae bile carent vivacia sunt.*

Si sic inquam colligas, syllogismum quidem feceris, sed tamen, quemadmodum supra dixi, epagogicum. Verus & germanus esset syllogismus, si omnia haec animalium genera vivacia esse ex eo demonstrares, quod bilem non habeant.

Nunc Enthymematis exemplum proponatur,

*Homo, Asinus, Equus, Elephas, caeteraque item bile carent,*

*Quare vivacia sunt.*

Addamus propositionem sic,

*Quae bile carent vivacia sunt,*

*Genera haec omnia animalium bile carent,*

*Quare vivacia sunt.*

Plenus fiet syllogismus: ut Enthymema *imminutus syllogismus* esse videatur: cum eadem utriusque in probando ratio sit & natura. Vides, nisi fallor, qua de causa Enthymema *syllogismum imminutum* fecerit Aristoteles, inductionem non fecerit: simulque illud vides, quam non ridiculum utriusque argumentationis discrimen attulerit. Idem de exemplo dicendum est: cum enim sic colligis,

*Phocensibus perniciosum cum Thebanis bellum fuit,*

*Quare bellum cum finitimis perniciosum est.*

De vero medio maius extremum colligis, ex eo, quod vere *medium* dici non potest. Neque enim quia Phocensibus calamitosum fuit bellum illud adversus Thebanos, bellum ideo quod contra finitimos suscipitur, calamitosum est, quin potius Phocensibus perniciosum bellum illud contra Thebanos fuit, quia perniciosum semper sit adversus vicinos movere arma. Quod si argumentationem hanc voles ad syllogismum revocare, facies tu quidem syllogismum, sed *paradigmaticum*, hoc modo:

*Phocensibus bellum, quod adversus Thebanos gesserunt, perniciosum fuit,*

*Bellum autem illud adversus finitimos susceptum est,*

*Quare bella, quae adversus finitimos suscipiuntur, calamitosa semper sunt.*

Haec quemadmodum subtiliter, ita verissime quoque RAME dicuntur, neque verum est, ut quid a nobis non intelligitur, falsum id continuo putare: nam neque omnia omnes possumus, & posterior dies magistra prioris est: ut

mirum non sit, si neque ab uno homine omnia, nec eodem intelliguntur tempore. Respondi ad omnia quae in *priora Analytica* a te obiecta sunt: nunc ad *posteriora* venio: quibus Logicae artis finis & scopus continetur: evidentis scilicet probationis ratio, non nova ulla syllogismi dispositio & connexio: omnes enim quamquam materia dissimiles, eadem tamen ratione concluduntur syllogismi. Hoc tu supervacaneum RAME, putas, de *necessaria* probatione seorsum scribere, quae syllogismorum regulis communibus teneatur: neque illud animadvertis, ut in omni argumentatione, sic in hac evidente esse duo, connexionem & quandam veluti formam omnium conclusionum communem, & certum praeterea genus materiae. Neque enim quae ex ea petitur scientia, ex quibusvis pronuntiationis nasci potest, sed ex primis, sed ex propriis, sed ex causis eius rei, quam scire volumus. Ac quemadmodum non ex qualibet materia fit, ita neque ad rem quamlibet adhibetur demonstratio, sed ad ea tantum quae vera, quae necessaria, quae aeterna, quaeque eodem semper modo sunt: quales formae sunt universae, quae neque fluunt unquam aut labuntur, & in eodem semper statu permanent. Mater igitur & parens scientiae erit demonstratio, quae vera e veris, necessaria e necessariis, aeterna ex aeternis concludit: quales nullae in Grammatica sunt, quae tota in usu & loquendi quadam consuetudine posita est, nullae in Rhetorica: quae praeceptis ornandae orationis continetur. Nullae in arte differendi, quae in nulla certa re versatur. Multae in Philosophia naturali, plures in Mathematicorum artibus & disciplinis. Neque quia, quae apud Euclidem sunt demonstrationes, ad Aristotelis praecepta compositae non sint, inutilis ideo ratio haec existimanda est, est enim, quod te minime latet, quaedam in omni re perfectio, quam neque omnes vident, & pauci assequuntur. Quae enim aut Demosthenis, aut Ciceronis oratio in eam eloquentiae formam inclusa est, quam in *Oratore* M. TULLIUS expressit? Tum vero si attendas diligenter primum illud Euclidis decretum, quod affers, *super data linea recta posse triangulum lateribus aequis constitui*, intelliges non posse verissimo illo scientiae genere comprehendi, in quo neque rectae lineae, neque trianguli aequis lateribus natura proponatur. Tum vere Mathematicus demonstrat, cum quae suarum formarum proprietates sit, ex ipsarum definitionibus colligit: caeterae eius demonstrationes, evidentes illae quidem sunt, sed quae a perfectissimis absint tamen longissime: neque enim omnes perfectas aequae esse existimandum est. In quo valde a te ridicule reprehenditur Aristoteles, quod demonstrationem aliam fecerit quae *quamobrem res sit*, aliam quae *esse rem tantum doceat*, aliam *primae*, reliquarum *figurarum* aliam,

universam aliam, aliam ex parte, aliam affirmantem, negantem aliam, aliam rectam, aliam obliquam, & ἐῖς τὸ ἀδύνατον compellentem adversarium, aliam, quae ex quovis causarum genere, aliam quae reciprocatone, aliam quae in orbem fit. Quae demonstrationum genera non eo ponuntur ab Aristotele, quia perfecta omnia sint, sed ne evidentis probationis rationem ullam genusve praeteriret, & ut perfectissimum quod esset, sic facilius cognosceretur: cum enim praestantior ea sit demonstratio, quae quamobrem res sit docet, quam quae esse rem tantum, quae in prima figura, quam quae in aliis concluditur, universa quam ea, quae ex parte fit, quae affirmat, quam quae negat, recta quam obliqua, quae ex forma fit, quam quae ex alio ullo genere causarum: praestantissima ea erit demonstratio, quae ex forma fit, quae recta est, quae affirmat, quae universa est, quaeque quamobrem res sit docet. Non ergo demonstrationi quam initio definierat falsas postea species attribuit Aristoteles, quod neque ego neque tu faceremus homines nullo iudicio, praesertim si cum illo conferamur, sed cum formam illam demonstrationis longe excellentissimam initio proposuisset, ne haec quidem in quibus minus inerat dignitatis, voluit praeterire. Haec mihi quidem, PETRE RAME, videtur ratio verissima docendi, ut cum quid in re quaque optimum sit proposueris, tum & quid optimo proximum sit ostendas. Venio ad reliquas reprehensiones tuas. Nugari tibi videtur Aristoteles, quod cum demonstrationem posuisset rerum duntaxat universalium aeternarumque esse, quaerat posterius omniumne rerum, an nullius sit demonstratio: simile enim eum facere, ac si cum affirmasset, solem interdum tantum nobis lucere, deinde quaereret, omnine an nullo tempore luceret. Obiicis deinde nova cum fingere vocabula, relinquere usitata: Tertio ridicule illud quaerere constitutis in partem utramque extremis, possintne media esse infinita. Quarto delirare tibi videri, & in tota illa disputatione de demonstratione & finitione, idem enim esse demonstrari rem & definiri, & in illa praeterea ratione ex dictis (dicta scis me vocare κἀνηγορεύμενά) investigandae finitionis. Tum illa a te reprehensio affertur, quae in omnes Analyticos libros valet, literarum, tanquam si Grammaticus esset, aut Grammaticis hoc velit gratificari, exemplis usum esse perpetuo. Addis ad extremum, ne Peripateticos solum insectari videaris, fallaces quasdam conclusionum rationes a Stoicis excogitatas esse, & a CICERONE in Topicis susceptas & approbatas. Ad quae omnia tibi ordine respondebo. Primum igitur quod nugari tibi videtur Aristoteles, qui posteaquam demonstrationem rerum duntaxat universalium aeternarumque esse dixit, tum quaerat, omniumne rerum, an vero nullius sit demonstra-

2  
tio, non recte accipis: aliud enim est dicere quidpiam & affirmare, aliud vero quae contra dici possunt, refellere. Cum igitur posuisset Aristoteles rerum duntaxat universalium esse demonstrationem, facturum se operae pretium existimavit, si eorum qui demonstrari omnia posse, & eorum item qui nihil demonstrari posse censebant, confutaret refelleretque sententias. Secundum illud erat in reprehensione tua, nova fingi ab Aristotele vocabula, deseri- que usitata. Quae ista quaeso RAME, vocabula nova sunt, quae fingi ab Aristotele vis? DE OMNI, inquis, & PER SE. Primum ut haec maxime nova sint, ignosci tamen nobis concedique debet, si in rebus novis, vocabula fingimus nova. Graeci enim ipsi qui haec tam tractaverant diu, novis interdum uti verbis cogebantur. Apud Ciceronem VARRO, cum Qualitatis verbo usus esset novo sane, petiissetque ab Attico & Cicerone, ut sibi uti interdum novis verbis liceret, & Atticus pro Cicerone quoque respondisset, licere Graecis etiam si vellet, uti, tum ille rursus, Bene sane facis, sed enitar ut Latine loquar, nisi in huiusmodi verbis, ut Philosophiam, aut Rhetoricam, aut Dialecticam appellem, quibus, ut aliis multis, consuetudo iam utitur pro Latinis. Qualitates igitur appellavi, quas ποιότητες Graeci vocant, quod ipsum apud Graecos non est vulgi verbum, sed Philosophorum, atque id in multis Dialecticorum vero verba nulla sunt publica, suis utuntur: & id quidem commune omnium fere est artium: aut enim nova sunt rerum novarum faciendae nomina, aut ex aliis transferenda. Quod si Graeci faciunt, qui in iis rebus tot iam secula versantur, quanto id magis nobis concedendum est, qui haec nunc primum tractare conamur? Haec cum Varro dixit, tum CICERO, qui in eo sermone tertius est, Tu vero, inquit, Varro bene etiam meritorus mihi videris de tuis civibus, si eos non modo copia rerum auxeris ut effecisti, sed etiam verborum. Vides RAME, tribus iis doctissimis hominibus autoribus posse non in rebus novis verbis uti inusitatis. Verum ut Latina haec nova sint, an ideo Graeca quibus usus est Aristoteles nova erunt? Tu qui Aristoteli obiicis usitata eum relinquere vocabula, nova fingere, docere debuisti apud Graecos verba haec κατὰ πάντος, καὶ κατ' αὐτὸ non esse usitata, esseque alia, quae pro iis dicantur, usitiora. Venio ad ridiculam illam quaestionem; An constitutis in utramque partem extremis, possint media esse infinita: quod idem esse vis atque si quaereretur, an in baculo duobus extremis finito & terminato extremum sit & finis aliquis. Ad quam quaestionem audiendam, si tu doctorum, interpretum, magistrorum, praeceptorum, iuvenum; senum, omnium denique ordinum & aetatum concionem per praeconem advocas, ut Aristotelis stultitiam singularem omnes cognoscant, quan-

to ego hoc minus verebor facere, qui eos ad PETRI RAMI stultitiam, inscitiam, impudentiam a iuvenibus cognoscendam, a senibus damnandam, ab omnibus fugiendam convocaturus sum? Adeste igitur Iuvenes, senes, doctores, discipuli, adeste inquam omnes, & PETRI RAMI singularem in calumnia impudentiam cognoscite. Quod PETRVS RAMVS quaerere Aristotelem ait, *in baculo duobus finibus terminato, extremum ne sit ac finis aliquis*, calidum mendacium est. Quid igitur? Audite rursus quaeso, omnes qui adestis. Aristoteles ut doceat, facilius non posse omnia demonstrari, stareque tandem aliquando & quiescere demonstrationes, tria haec prius quaerit: primum, *An designata infima specie, quae de illa dicantur possint esse infinita*: alterum, *Designato ne primo genere, genera sub eo esse infinita possint*: postremo, *an & genere summo & specie ima designatis, media tamen sint infinita*. Quid hic quaeso est, quod rideamus? An quia Aristoteles quaerat in quo scrupulus nullus sit, quod qui neget, de stultitia sua prius constetur est necesse? Primum ut nullam res dubitationem habeat, tamen non quaeritur inepte. Geometrae enim & Arithmetici quae quaerunt, non quia de iis dubitent, eo quaerunt, sed ut intelligatur quid probare velint. Nam si quae dubia non sunt, stulte in artibus & disciplinis omnia quaeruntur, multo certe stultius demonstrantur: Arithmetici tamen hoc demonstrant *Datis numeris duobus medium omnem numerum esse finitum*: quod Aristotelicae quaestionis non est admodum dissimile. Non igitur quicumque quaerit, id quod quaerit addubitatur, & controversum facit, sed interdum ideo tantum quaerit, ut intelligatur, quid docere probareque velit: quod nos adeo in iis libris admonet Aristoteles, cum quid inter Dialecticas & scientiarum proprias quaestiones intersit, docet. Sed tamen ut hoc, quamvis falsum, suscipiam, nihil nisi quod dubium est, quaeri, vacare ne dubitatione illa tibi quaestio videtur, *An constitutis extremis, media sint infinita?* Quaeso in isto tuo baculo, quem nisi ferratum utrimque secisses, extrema in eo nulla esse putasses, in isto inquam tuo baculo quomodo defendes media non esse infinita? An non habet iste tuus baculus, ut caetera omnia huius generis quanta, partes duas? an non utraque pars partes rursus habet duas? an secundae hae partes partes non habent alias? & hae rursus tertiae alias, quarum item aliae partes sunt? & ut breve faciam, quam baculi istius tui mihi partem dabis, cuius ego tibi non dem partes rursus infinitas? An nunquam audisti, quanta omnia, quae quidem continua cohaerentiaque sunt, in partes dividi infinitas posse? cum minimum dari nihil in rebus possit. Quid nunc RAME ais? an non vides, in isto tuo baculo finito media esse

infinita? an non vides de quo neminem dubitaturum credebas, de eo te nunc vehementissime dubitare? Quanam quaeso in re tuam stultitiam apertius testificari poteris, quam de re maxime dubia nihil dubitando? sed nimis urgeo: transeo ad delirium Aristotelis in disputatione illa de *demonstratione & finitione*, & in illa praeterea ratione, quam tradit *ex dictis investigandae & aucupandae finitionis*. Equidem quanta mea intelligentia est, video Aristotelem in ista disputatione probantem varie & copiose, aliud *demonstrationem* esse, aliud *finitionem*: finitionem colligi demonstratione non posse, Dialectica probabilique ratione posse, e quolibet causae genere concludi demonstrationem posse, & inter caetera, quae ratio investigandae finitionis sit. Cedo igitur in quo tibi videtur delirus Aristoteles? an quod *demonstrare & definire* diversa faciat? Quin igitur illius tu rationes consutas, & eadem esse doces, ne qui illum delirum facis magis ipse delirare videaris? Equidem cum sic concluditur,

*Figura omnis plana lineis tribus comprehensa, tres habet angulos rectis duobus angulis pares.*

*Triangulus talis figura est.*

*Quare triangulus angulos tres habet rectis duobus angulis pares.*

Cum sic inquam concluditur, demonstrari de triangulo propriam eius affectionem video, definiri nihil video. Cum autem sic colligis,

*Homo animal est rationis particeps, Socrates homo est,*

*Quare rationis particeps est.*

Cum sic inquam colligis, ne illud quidem assequeris, ut de Socrate ipsius definitionem concludas. Nam & rerum singularum, quae fluxae sunt & caducae, definitiones nullae sunt: & ut sint maxime, Socratis tamen ea definitio quae in omnes homines valet, dici non potest: propria siquidem eius rei definitio esse debet, cuius esse dicitur definitio. Diversa igitur sunt *demonstrare & definire*, quando & qui *demonstrat* non *definit*, neque contra *demonstrat* qui *definit*. Neque enim qui *hominem animal esse dicit rationis particeps*, demonstrat ac docet: tum doceret, si *quamobrem homo tale sit animal* diceret. Nihil dum igitur delirat Aristoteles: forte in ratione investigandae finitionis delirabit: quare eo transeamus. Praeceptum Aristotelis est, *ut si invenire definitionem velim, ad ea respiciam, quae de eo genere dicuntur, cuius quaeritur definitio, tum ut genera superiora coner differentiis dividere*. Tu e fontibus inventionis hauriri definitionem posse putas. Quod ego ut ingenue fatear, nunc primum audio: nesciebam certe hunc locorum usum: si quid mihi probandum esset, posse me id facere putabam, eruto e locis argumento: si quid definire vellem, argumentorum locis utendum esse id vero nescie-